This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LS
4
30

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

L54.30

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 29 July, 1889.

CARMINIS SALIARIS

RELIQVIAE

ED. ADN.

DUOS DE IANO EXC. ADD.

Carl Magnus
C. M. ŽANDER.

LUNDÆ,
TYPIS BERLINGIANIS,
MENSE MAIO MDCCCLXXXVIII.

£ s 4.39

Constantius fund.

3.

Carmen Saliare.

I.

Versus Ianuli.

O Zaúl, adorĭese ómnĭa!
Vero^{m} ád pătlă cŏĕmĭs es iáneús, Iánes.
Dvonus Cĕrus és, dvonus Iánus.
Veueĭs promérios próme diŭs e*n*úm recón*de*.

Sententia haec est: O sol oriens inuade omnia!
Portarum ad patulos aditus comis es ianitor, Iane.
Bonus Genius es, bonus Ianus.
Viuis (dat. plur.), (optime) promeritus, prome dies et reconde.

Varro de L. L. VII § 26. In multis uerbis in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R, ut in carmine Saliorum sunt haec:

Cozeulodori esc omnia uero adpatula coemisse iancusianes duonus ceruses dunus ianus ue uet pom elios eum recum... [post recum reliquam eius uersus partem et qui sequuntur quattuor uersus vacuos relictos esse in F, adnotauerunt A. Groth de M. Ter. Varronis de L. L. ll. Cod. Florentino p. 116 et A. Spengel in adnot. critica ad h. l.]

Festus p. 205 M. Promeriom, praecipuum, praeter caeteros meritum; et promedium, hoc est *qui* participat ut*rumque*, *ut medium* pro indiuiso dicimus. [Promeriom Corssen M. Rh. XVIII 736: promerion FSL (i. e. Schedae Festinae Laeti; nam Quaternio X codicis Farnesiani deest; u. praef. Muelleri). — et promedium] scripsi: aut pro medium FSL — qui] addidi; utr. ut. m. pro] scripsi: aut pro FSL. — Haec Festi, quae sunt inter glossas e carmine Saliari petitas, ad hunc locum pertinere Aem. Baehrens FPR p. 30 ostendit, sed non bene mutauit promeriom (— os) Festi in promelios. Promedius autem Verrio — is enim non dubium est quin unum carminis id uerbum esse existimauerit — uisus est Ianus dici ut medius qua primi et postremi diei (similiter Hora-

tius dicit Mercurium medium pacis bellique), qua orientis et occidentis, qua anni extremi et primi. Gauius quidem Bassus in libro de dis Ianum bifrontem fingi ait (ap. Macrob. S. I. 9. 13.) quasi superum atque inferum ianitorem. Auctor Macrobii S. 1. 9. 9. (Cornelius Labeo, ut. vid.) Ianum quidam solem, inquit. demonstrari uolunt et ideo geminum quasi utriusque ianuae caelestis potentem. Auctor Macrobii S. I. 13. 3. (Suetonius de anno rom., ut uidetur) Ianum nominat bicipitem deum recipicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique principium. Male autem Festus, ut solebat, de Verrii disputatione excerpsit uel lacerando eam contraxit cum scriberet: aut promedium pro indiuiso dicimus; nisi forte hoc quoque librarii alicuius neglegentia natum est.]

Tertullianus Apol. c. 10. Italiam, in qua Saturnuus — exceptus est ab Iano uel Iane, ut Salii uolunt. ['ut alii volunt' Corssen Btr z. It. Spr. kunde I. 1876 p. 352; quod si uere coniecit, tamen idem efficitur.]

Paulus Festi 103 M. Ianeus, ianitor.

Testimonium. Velius Longus p 51. 3 K., auctore usus Verrio Flacco, ut vid., Z litera mihi videtur nec aliena *latino* sermoni fuisse, cum inueniatur in carmine Saliari.

Adnotatio critica ad I.

V. 1. (haec) O . . .] Th. Bergk. Op. I. 478: (haec) c . . . F (F = Codex Varronis Florentinus, "codex omnium parens", ut ait Ang. Mai praef. Cic. de Rep. p. XX; litteram c ortam videri ex praegresso haec vere monuit Bergk l. c . Talibus uitiis F abundat. Velut exitus verbi proximi proximo adhaesit VII § 34 nuptiis scamillus F pro nuptiis Camillus; § 44 incisa salibaque F pro incisa libaque. — Zaul] scripsi: Zeul F; exempla a et e litterarum in illo codice permutatarum multa conquisita habet Groth l. c. p 88. — adoriese] scripsi: odori esc F, ut videtur, Groth p. 166; odorieso cett. *Haec uox* adoriese *Varroni fuit exemplum* S *litterae pro* R *ab antiquis dictae.* — omnia disyllabum, u. commentar. ad IIa s. u. Leucesie. — V. 2. uero] = uerom, cf. POCOVO CIL I. 45; IX 257 saec. V. – patula] nescio an sit scribendum patlá, u. commentar. — Coemis es] scripsi: coemisse F, metathesis s. litterae, ut X 26 casus his F: cassuis C O Mueller; cŏĕmīs, quod habet F, retinui; nec tamen dubium est quin primo fuerit co(g)uemis; nisi forte legere malis: cosmis: u. commentar. s. u. — ianeus] scripsi; sic Paulus Festi 103 M.: lancus.. F teste Groth, ian cus.. F teste A. Spengel.

V. 4. ueueis]: ue uet F, quod arbitror in archetypo fuisse VEVEI — de t et litteris in cod. Flor. saepe mutatis u. C O Mueller praef. p. XXII — an VEVEIS, i. e. veiveis, ubis prius ei non diphthongum, sed uocem simplicem atque ē et ī litterarum mediam significat, sexti et septimi saeculi more; ut CIL I 1271 VEIVONT; VI 1958 VEIXSIT. Principalis autem forma et primo in carmine Saliari posita uidetur fuisse uiuois; deinde uiueis et uiuēs, tum etiam ueueis et ueiueis, postremo uiuis; u. comm. s. u. Dat. abl. plur. in -EIS retenti plurima exempla extare nemo ignorat. Ut pro certo habeo ueuei hoc, quod in ue uet latens indagauimus, esse pro ueueis, ita, quoniam magna

obscuritate inuoluta sunt "fata" Varronianorum de L. L. librorum, dubito utrum haec -s omissae finalis corruptela profecta sit ab librario cod. F, qui multa talia peccauit — nam Groth p. 88 monet, quod mihi quoque facile apparet, ab eo cum alias terminationes per compendia scriptas tum s finalem saepissime esse aut omissam aut perperam additam —; an imperatoria aetate a librario minus erudito et licentiae sermonis uulgaris in scribendo indulgente —s omissa sit — cuius rei exempla sunt ap. Schuchardt Voc. II. 44; 388 sqq. et ap. Seelmann de appell. u. lat. p. 362 —; an in hoc exemplo exstet prisca illa —s finalem neglegendi licentia. Nam in eo exemplari carm. Saliaris quod ante oculis fuit Varroni, esse potuit ueuei pro ueueis. Velut SVAVEI pro SVAVEIS CIL I. 1297 Protogenes Cloul[i] suauei heic, ei, situst mimus; prior enim versus ut fiat hexameter sic est recitandus, addita —s ad suauei, de situst autem s et t extremis sublatis: Protogenes Clouli suaveis heic, ei, situ' mimus. Item IOVEI pro IOVEIS in speculo etr. CIL I 56 Ritschl Op. IV 110. QVQEI pro QVQEIS in uetusto et horrido uersu tituli Falisci C. I. L. I 979 Cuquei huc dederunt imperatoribus summis; qui uidetur esse tetrameter bacchiacus et sic recitandus: Ququeís húc dedérúnt impĕrátóribus súmmís. (Imperatoribus quinque syllabarum, quod e ita delituit ut in paël. empratois et osc. embratur; quid quod quadrisyllabum impratorbus legere licet i media pariter suppressa atque senatorbus S. c. de Bac. I. 196 u. 6. . ——— promerios prome dius] scripsi: promelios V(ind.) b(as.) pom. elios F; ubi pom- et prom- sunt confusa; cf. p(r)omerium in rel. scot. lat. cod. luxemb, de quo Stowasser Stud. Vind. IX. 2. 34 sqq. Verba uera restitui ex uerbis Festi p. 205 M. promerion promedium supra allatis; ex quo loco Festino apparet et promerios et promedius hic fuisse: PROMERIOSPROMEDIVS. Quas uarias esse formas lectionis Verrius fortasse opinatus est. Is cum ex doctrina Varronis non pendeat, ut demonstrarunt C O Mueller praef. Festi p. XXIXs) et Nettleship Stud. latin. (Essays, Oxf. 1885) p. 212 sq., forsitan ipse uel potius eius auctor aliud exemplar carmissis Saliaris ac Varro legerit; hoc "vel potius eius auctor" propterea addidi quod est quod suspicer Verrium non de ipso Saliari carmine sed de commentariis Aelii et Cloatii et Cincii glossas ad hoc carmen pertinentes sumpsisse. Cf. Festi annot. s. u. Manuos et Molucrum et Pescia et Salias uirgines. Sed ueri simile est Varronem ipsum — nam se non modo Aelii magistri copiis usum, sed etiam ipsum hoc carmen legisse, uidetur indicare VII. de ling. lat. § 2 — idem legisse scripsisseque. Cod. enim F, quod alio loco exemplis ostendam, latentibus lacunis haplographiisque, si recenti licet uti uocabulo, scatet. — enum reconde] scripsi: eum recum... F; nam u et o etiam permutantur in F, ut IX 86 nungenti F: nongenta L. Sp.; nungenta F: nongenta. Si uere expleui hoc verbum, scriptio in F fuit inuersa, quam dicunt: recumde; ut in lege agraria 25 comductum; in leg. Iul. mun. 17 damdum, 49 damdam, 58 faciumdei (sexies) tuemdus; u. Schneideri ind. gramm. p. 145.

Ne quis credat me temere in verbis diuidendis codicis auctoritatem spreuisse, item hic, ut fiebat in locis a Varrone prolatis, praesertim latinitatis peruetustae, quam librarii non intellegerent, pleraque uerborum sunt uel perperam diuisa uel confusa. Cuius rei cum paene innumerabilia sint exempla in cod. F., satis erit haec exempli causa afferre ex proximis paragraphis sumpta VII. § 28 Potoni es qui senex F: Potoni sesqui

senex *Turnebus*; § 28 mutuam mulinam . uere F: mutua muli; nam uere *Pantagathus*; § 33 ut in amne F: utinam ne; § 40 tumor natae F: tum ornatae.

Ac ne illud quidem uereor ne quis me minus egisse constanter dicat quod, Florentinum codicem auctoritatemque schedarum Laeti secutus, o litteram in promerios, u in duonus, Cerus, Ianus, ianeus, retinuerim. Eadem enim est in inscriptionibus inconstantia inde a Vto saeculo. Ga. 503 RETVS · GABINIO · C · S · CAVEBVS · FEC · TE; Gar. 538 SIVANVS — SORESIOS — EBRIOS; PAINSSCOS — PIVIPVS.

II.

Versus Iouii.

a.

Dīuóm *Diouém* pote^{m} cánte,
deiuóm deo*us* súplicáte.

Sententia est haec: Caelum, Iouem potentem canite, deo diei supplicate.

Varro de lingua lat. VII § 27. – – e Casmena Camena factum ab eadem uoce canite, pro quo in Saliari uersu scriptum est cante hoc uersu:

diuum empta cante, diuum deo supplicate.

---

b.

Quŏme tonás Leucésiē,
prai téd tremónte quót*quot* ubéi*que* hemúneis déiueis,
conctó^{m} mare, m[*óntes*(?), *cámpoe*(?).]

Sententia uersus secundi haec est: te praetremunt (i. e. te praemetuentes tremunt) quotquot ubique sunt homines ac di.

Terentius Scaurus de orthographia p. 28 K. Cum quidam per cum, non nulli per quom; quidam etiam esse differentiam putant, quod praepositio quidem per c, adverbium autem per q debeat scribi, ut 'quom legissem' 'quom fecissem', quoniam antiqui pro hoc adverbio quome (cume libri) dicebant, ut Numa in Saliari carmine:

cuine ponas Leucesiae praetexere monti
quot ibet eunei (etinei) de is (de his) cum tonarem.

Festus p. 205 M. pretet tremonti praetemunt. pe.

Macrob. I. 15. 14 Iouem — lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt.

C.

Cerus Manus.

Paulus Festi p. 122 — — in carmine Saliari Cerus manus intellegitur creator bonus.

Annotatio critica ad II a. — Diuom Diouem pote] scripsi: Diuum empta F. Quod lacunam esse statui, quod ultimum remedium in recensendo adhiberi solet, id omnibus probare uideor et miserrima verborum condicione et ea codicis Florentini proprietate quod incredibili multitudine lacunarum refertus est, idque maxime in verbis priscorum scriptorum a Varrone disputationi insertis. Velut in proximo codicis F folio quarto decimo — nam haec uerba diuum — supplicante sunt extremi tertii decimi — hae lacunae latent. VII § 41 maiore ratione F: maior erat, [orat]ioni ASp; § 42 Apud Ennium mensas constituit idemque ancilia dicta ab ambecisi F: Apud Ennium: | Mensas constituit idemque ancilia. | — ['Ancilia'] dicta ab ambecisu *Laetus*. Similem statuo h. l. esse errorem litterarum similium semel scriptarum: 'Diuum em...' pro 'Diuum [Diou]em'. § 31 scirpo F: [nodum in] scirpo ASp. § 33 remis F: [trabes] remis LSp; § 39 non item F: no[mine] item ASp; § 36 fari [a] quo ut [de] poematis LSp. — pote^{m}] scripsi:.. pta F; de a pro e posita u. ad I u. 1 s. u. Zaul.

V. 2. deiuom] scripsi: diuum F; u. commentar. — deous su...] scripsi: deo su... F; de -s finali in F saepe omissa u. ad I u. 4 s. u. ueueis. Hoc loco eo facilius omissae s et u quod eaedem primae sunt litterae uocis proximae. Sed quod —s finali omissa deo pro deous sive deos traditum est, ea non corruptela dicenda, sed uerius scripturae uulgaris licentia in ipsa enuntiatione s finalis neglegenti posita. Quod nimirum etiam ad genitiui terminationem pertinuit. DIOVO est pro DIOVOS in tit. perantiquo Praen. Herm. 19. 453 Woelfflini Archiv III 153 Schneid. Ex. 108; COIRA POCOLO Gar. 478 Schn. 23 pro Coiras pocolom in tit. saeculi V Hortae rep.; SENATV gen. sing. CIL I 1166 inter a. 600 et 664 scr. Illam quoque putauerim seruatam esse antiquam ineuntis saeculi VII. formam ab iis qui legem parieti faciundo Puteolanam aetate Augustea restituerunt aedem SERAPI CIL I 577, 6. Nec tamen, quod dicit Buecheler de declin. ed. W. p. 67 "fide (genit.) kann aus fides entstanden sein, wie Gen. senatu aus senatus", id ei possum assentiri, quod genitiui illi senatu et senatus non tam uoce quam scriptione ap. priscos alter ab altero differebant. Et Macrobium uel potius eius auctorem h. l. "diuum deo supplicate" legisse coniecturam capio ex eo quod est ap. Macrob. I. 9. 14 "Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur".

Iam quod dĕo(s) uel dĕo(us) h. l. traditum est pro dīous, nihil certe habet uitii. Prisci enim illi cum ĭ brevem enuntiarent, eum sonum modo per e, modo per i reddebant. Per e litteram scriptae eius uocis exempla haec de magno numero sumpta affero:

CONDETIOS CIL I 106 HORDEONIVS I. 302 OVEO I 164; sed uide indices Corpori I. L. et Syllogae Garucii et Exemplis Schneideri subiectos.

Porro quod attinet ad vocalem terminationis crediderim iam Varroni ante oculos fuisse hanc formam deo(s); o enim pro ou non raro scripta est VI et VII saeculis. Sed V:to saeculo positae O vocalis pro OV iunctis nulla exempla inueni praeter haec: CIL I 55 Praenestina POIOCES IOSNA, de quo Iordan ap. Preller. Mythol.[3] I 327[2]) et Schweizer-Sidler N. Ann. 123. 35, et I 1557 POBIEIIOS. Illud autem CORAVERON(t) tit. Praen. I. 73 fortasse est pro COIRAVERON(t); et MACISTRATOS acc. pl. Col. Rostr. ueram antiquitatem referat, necne, dubium est. Quocirca si non necessariam, at fortasse ueriorem, certe principalem hanc per -ou- scriptionem esse puto. Quamquam quod paucitas latinorum tanta antiquitate titulorum rem facit incertam, dubito an eadem fuerit apud latinos uarietas quae inde ab antiquissimis temporibus apud Oscos (de Oscis u. Kruczkiewicz Ann. Gymn. Austr. XXX 8 sqq.). Si polteo, quod in carmine Saliari fuisse dicit Festus p. 205 M., sic legendum est: pro olteo — quam coniecturam Havet MSL IV 238 fecit — uel potius pro oltro, haec scriptio sexti aut septimi est urbis saeculi; prioribus scriptum esse oportuit: pro ultro aut pro oultro — ut ouls Varro L. L. V. 50 ex c. C O Muelleri —; sed haec res, ut dixi, non potest ad liquidum perduci.

Postremo nihil est quod moneam deous monosyllabum, praesertim in hoc tam prisco carmine, nihil offendere. Quis nescit deos deo eo eos eorum diu similiaque ap. priscos saepe synizesin passa esse, ac ne Enni quidem grauitatem ab hoc genere contractionis abhorruisse?

V. 2. Suplicate] (supplicate Grotefend: in hoc carmine Ennio antiquiore melius erit consonas non geminare): supplicante F. Et diuum pro deiuom et supplicante pro supplicate in hoc uersu "ex mala adsimilatione" scripta, ut in proximo uersu diuum, cante. Huius rei exempla pauca ex multis hic profero. V. 7 inceruiceruicem F: incuruiceruicem *Aldus;* et ex folio illo quarto decimo: VII § 28 amici fili F: amica fili *Laetus;* ib. § 28 dicit pusum puellam pusam F: dic tu illam pusam *Turnebus;* § 39 idem — item F: eodem — item ASp. Mirum eius rei exemplum est CIL I 156 P · VEBIDIA · Q · F · NVMA pro P · VEBIDIO · Q · F · NUMA. Sed redeo ad carmen Saliare. Primo in hoc uersu sine dubio fuit non suplicate, sed suplacate.

Annotatio crit. ad II b. — V. 1. Quóme scripsi: cuine libri Scauriani B(ernensis) P(alatinus); cum é Ribbeck de particulis p. 27; quomé Baehrens; cume in hoc tam vetusto carmine primo esse non potuit; u. commentar. Et ne in Scauri quidem verbis proximis id quod correxi aliter quam per qu et o litteras a Scauro scriptum esse potuit, quoniam ratio eius postulat ibi poni quome. Ap. eundem p. 31, 10 K. quom restituerunt Usener et Wilmanns pro 'quo' in codd. tradito. — tonas Leucesie]: t. Leucetie Duentzer, ponas Leucesiae BP.

V. 2. prai ted tremonte] scripsi: praetexeremonti BP; pretet tremonti FSL; prae tet tremonti Bergk Op. I 492; prae ted tremont Jordan Krit. Btr. p. 222; u. commentar. — quotquot ubeique] scripsi: quot ibet BP, nam ibet fortasse est pro ubei; neglecto etiam copulae compendio, quod non semel in libris Scaurianis factum est. Item in Plautinis codicibus saepe et pro ei ponitur; de qua re u. adn. cr.

Brixi ad Plauti Mil. u. 522. Et Varro VII L. L. § 21 uidetur sic scripsisse: Asia et Europa ubi (ibi F) concludit*ur* mare, inter angustias facit Propontidis fauces. VBEI est CIL I 196.5041; 5; 1166,6; 199,4; 208,4.— quo tibei h. l. legit Mommsen Unt. Dial. 366.— hemuneis] Baehrens egregia emendatione: etinei B eunei P i. e. (h)ẽuneis. Dubium est utrum hemoneis > hemuneis factum sit uoce recentiore sermonis uulgaris, cf. Corssen de appellatione II² 165, Loewe Prodrom. p. 360, Schmitz Btr p. 49 annot., Schuchardt Vocal. II 91—148, Seelmann de appellatione p. 214; an exemplum sit V litterae pro O prisco more positae, ut Terebuni Gar. 564; Flusare in tab. Furfensi saec. VII. C.I.L. I 603, 2,.... tatud I 193; castud facitud I 813 (saec VI); semunis C. Aru.; Petrunes Falisc. 24 Schneider. Etiam Quintilianus I 4. 16 uetera exempla Culcides et Pulixena profert; de quibus cf. Ritschl Op. II. 493 *). Et Velius Longus p. 49 K., Verrio Flacco auctore usus: Graecorum — eadem littera veteres solitos scribere *μακρός μακροῦ μακρῷ* et confusas fuisse o et ou et u: apud nos quoque antiqui — aeque confusas o et u litteras habuere. — unde in multis etiam nominibus uariae sunt scripturae, ut 'fontes funtes', 'frondes frundes'. Priscianus I 26 . 35 H. multa praeterea uetustissimi etiam in principalibus mutabant syllabis, 'gungrum' pro 'gongrum', 'cunchin' pro 'conchin' 'huminem' pro 'hominem' 'funtes' pro 'fontes' 'frundes' pro 'frondes' proferentes, unde Lucretius in tertio — 'Acherunte' pro 'Acheronte'. De *ur* pro *or* scripto Kiessling M. Rh. XXIII p. 423 sq. Plautina exempla affert Brix ad Men. 174. Apud Umbros O in uetusta scriptura exprimebatur per V, Buecheler in Umbricis p. 179.

V. 3. Conctom mare m[ontes campoe] incerta coniectura temptaui, usus Baehrensii coniectura, qui scripsit conctom mare: cum tonarem BP.

Adnot. crit. ad II c. Cerus manus de Iano Consiuio apte dici potuit; sed non est uerisimile, qui duonus Cerus dictus esset, eundem molesta repetitione in eodem carmine atque adeo carminis parte nominatum esse Cerum manum. Quod si alii deo hoc nomen datum est, quoniam ex Geniis ipsis hominum certorum aut certorum locorum nemo nominatim suis uersibus in hoc carmine uidetur esse dictus, u. p. 14., ut non liceat eos h. l. intellegere, nemo dignior fuit Ioue cui hoc nomen daretur. Eum enim ueteres Itali credebant esse parentem animarum, qui procreandis hominibus interesset animumque corpori infunderet. V. C O Mueller, Etrusc. III. 91. Varro ap. Aug. C. D. IV. 11 p. 160 D; Valerius Soranus ap. eundem p. VII. 16, 294. 15 D. Iuppiter "tamquam universalis genius" ib. VII. 13. p. 291. 10 D. Itaque inter "trecentos illos Ioues" sunt etiam Diuus pater Vitumnus et D. p. Sentinus Tertull. ad Nat, II. 11.; cfr Aug. C. D. VII. c. 2. sqq; et Diespater qui partum perducat ad diem Aug. C. D. IV. 11, p. 160, 27 Domb, et Iupiter Iuuentus, Iuuenis, Adultus (Preller³ I. 207), cui Osci nomen dederunt Diúveí Verehasiúí, tab. Agn. 9. 10; quod nomen probabiliter interpretatus est Buecheler ap. Zvetaieff Inscr. Osc. p. 107. Iupiter Liber titulorum aliquot, de quo Preller Myth. I³ 195, idem sine dubio fuit ac Liber ille qui in concubitu seminis emissionem uiris conferret, cum Saturnus (Iouis pater) semen ipsum, ap. Aug. C. D. VI. c. 3; 2; cuiusque imagini, membro uirili, Lanuuii matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere, ut placaretur pro euentibus seminum. ab agrisque fascinatio repelleretur. Aug. C. D. VII. c. 21. Romae Vestales uirgines fascinum, ut eiusdem numinis uel Laris populi Romani imaginem, rite uenerabantur. Huius numen, ut fiebat, ab

Ioue temporum decursu magis discretum factumque quasi sui iuris. Quod cum primo ad omnem uel procreationis uel sationis laetum euentum atque ubertatem pertinere uisum esset, postquam cum Baccho graecorum est confusum, angustioribus terminis circumscriptum. (Vini quoque deum Iouem primo Romanis fuisse uideri, assentior Mommseno R. G.7 I. 164). Si *τὸ ἔντμον* nominis Liberi inuenit Danielsson Stud. ital. Pauli IV. 163 sqq. et 171, interpretatio Augustini uel potius Varronis ea disputatione confirmatur.

Mānus adiectiuum praeter locos ab Georges lex.7 s. u. enumeratos etiam est ap. Tibullum III. 11. 9 mane geni, cape tura libens uotisque faueto. Plautus Cas. 220 U "ut te bonus Mercurius perdat" simili epitheto honoris causa utitur. Ouidius Trist V. 3. 35 fer, bone Liber, opem. Hor. C. IV. 2. 38 boni diui. Pers. II. 22 Pro Iuppiter, o bone Iuppiter.

III.

Versus Martii.

a.

Pilúmnoe̊ poplōe̊.

Festus p. 205 M. Pilumnoe poploe in carmine Saliari Romani, ueluti pilis uti assueti; uel quia praecipue pellant hostes.

b.

Mámurie Vetúrie.

Varro de L. L. VI § 49 — Salii quod cantant † memurii † ueterum... significant memoriam * * (asteriscos posui áuctore A Sp. pro uerbo quod in F legi non pofituit).

Ouidius III Fastor 259 Quis mihi nunc dicet quare caelestia Martis arma ferant Salii, Mamuriumque uocant; cf. u. 392.

Paulus Festi p. 131 Mamuri Veturi qui praemii loco petiit ut suum nomen inter carmina Salii canerent. Dionysius Ant. Rom. III. 32 *Μαμορίου τινὸς δημιουργοῦ.* Iuba ap. Plutarchum Num. c. 13 p. 135 sq. Sint. *Οὐετούριον δὲ Μαμοίριον - - κατασκεάσαι πάσας (τὰς πέλτας) ὁμοίας — — — τῷ δὲ Μάμουρίῳ λέγουσι μισθὸν γενέσθαι τῆς τέχνης μνήμην τινα δι' ὠδῆς ὑπὸ τῶν Σαλίων ἅμα τῇ πυρρίχῃ διαπεραινομένης. Οἱ δὲ οὐ Οὐετούριον Μαμούριον εἶναί φασι τὸν ᾀδόμενον, ἀλλὰ Οὐετέρεμ Μεμορίαμ, ὅπερ ἐστὶ, παλαίαν μνήμην.*

Annot. crit. — a. — Pilumnoe poploe antiqua, sed non antiquissima scriptura pro pilumnōī poplōī (u. commentar. ad I s. u. 'ueueis'); natura enim metri cogit esse haec uerba terminationibus disyllabis. In datiuum esse declinata, quam coniecturam fecit

Mommsen U. D. 230, ea iudico; u. commentar. ad h. l. — Mamurie Veturie] scripsi: memurii ueterum F; cf. Leucesie carm. Sal. I, filie Liu. Andr. ap. Prisc. I 305 H., Laertie Id. ap. Prisc. I 301 H. Posteriore in loco hunc uersum collocaui, ordine praemonstrato ab Ouidio Fast. III. 389 "tum sic Mamurius: merces mihi gloria detur, nominaque extremo carmine nostra sonent". 'Māmŭrius' Ouidius constanter, *Μαμούριον* Dionysius, at Propertius V2, 61 Mamurri (N. Mamūri al. libr.). Homini cuidam hoc nomen honoremque a Saliis datum esse opinantur ueteres quidam auctores creditque Marquardt Ant. Rom. III 420. At tales honores in homines ante principum adulationem ab Romanis conferri non solebant. Neque enim id quod dixi infirmatur eo quod Vergilius Salios Herculem, quem omnis Italia inde ab antiquissimis temporibus habuerit pro deo, carmine salutantes Aen. VIII. 285 sqq. inducit. Quodsi uerba illa Dionysii Ant. I. 79 *ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται* ad carmen Saliare spectant, quod Lysander Hist. litt. p. 107 suspicatur, tamen eo efficitur, non certorum hominum, sed, quod effici uult Lysander, deorum Indigetum laudes his carminibus esse celebratas. Martis nomen esse Mamurium docent Corssen Kuhn. Ann. II. 11, Donaldson in Varroniano² 195; 197, Preller Myth. Rom.³ I335, Weissbrodt ap. Schweizer-Sidler Fleck. Ann. CXXIII 42; gravissimisque argumentis demonstrauit Usener M. Rh. XXX 209 sqq. —— Veturius quid significet, mihi non liquet. Incertis coniecturis abstinere satius duco. Usener l. c. suptiliter disseruit Veturium Mamurium fuisse veterem annum et quasi Martem decrepitum, quem pridie Idus Martias sacris ueneratos, Idibus pepulisse Salios, ut nouo anno cederet; Usenero assentitur Preller l. c. 360. Quod cum mihi quoque ueri simile uideatur, tamen, ut incertum, in medio relinquo. Quod si uera est sententia Useneri, difficilius etiam erit intellegere, quae uis huius nominis in carmine Saliari fuerit. Nam etiam Agoniis Martiis et Quinquatribus et a. d. IX Kal. Apr. cum arma ancilia mouerentur, Mamurio Veturio, per contumeliam, si Usenero credimus, urbe pulso, Salii inter saltandum carmina sua canebant. Aut igitur putandum nullam iam illis diebus factam mentionem Mamuri Veturi, aut mirandum Salios eum inuocasse quem paullo ante ludibrio affecissent atque spreuissent. Nam non modo nominatum esse sed etiam inuocatum Mamurium Veturium a Saliis carmine satis apparet ex uerbis Ouidii quae supra attuli: "Mamurium uocant", i. e. inuocant; ut Horatius I Sat. 8. 33 Hecaten uocat altera, altera Tisiphonen; item C. I. 14. 10; 2, 25; 30, 2; 32, 16; II, 18. 14; III. 22. 3; Epod. 5. 5; Ouidius Fast. V 527; Verg. Aen. IV 680.

IV.

Iunonius uersus.

Lúciă, Volúmna.

Varro de L. L. IX § 60 sq. — qui mane natus diceretur, ut is Manius esset, qui luci, Lucius, qui post patris mortem, Postumus. E quibus quaeque (sic scripsi: 'quae' F) cum item accidissent feminis, proportione ita appellata declinarant praenomina muli-

erum antiqua, Mania, Lucia, Postuma; uidemus enim Maniam matrem larum dici, Luciam † Volaminiam, (F, volaminam V, voluminam H) Saliorum carminibus appellari — —.

Augustinus de Ciu. D. IV. 21 p. 171. 5 sq. Domb. Quid opus erat parturientibus inuocare Lucinam, cum, si adesset Felicitas, non solum bene parerent, sed etiam bonos? Quid necesse erat Opi deae commendare nascentes, deo Vaticano uagientes, deae Cuninae iacentes, deae Ruminae sugentes, deo Statilino stantes, deae Adeonae adeuntes; Abeonae abeuntes; deae Menti, ut bonum haberent mentem, deo Volumno et deae Volumnae, ut bona vellent.

Adnot. crit.

Lucia, Volumna] ita scripsi ut non in unum coniuncta essent, sed interpunctione distinguerentur duo cognomina eidem deae pariter adiecta. Necesse erat mutare codicis Flor. lectionem, quae metro repugnaret. Nec Lucia nec Volumna, quod conieci collato Aug. loco q. supra scripsi, magis mulieres mortales, quod dicit Marquardt Ant. III 420 hic sunt, quam illa, quae proxime h. l. dicta est, Mania mater Larum aut Genita Mana aut Anna Perenna aut Acca La(u)rentia, nec magis Aius Locutius hominis nomen. Neque enim credendum est, quod iam dixi p. 9 annot. ad Mamurium Veturium, hominum laudes carminibus celebrasse Salios antiquissimos; quod ex Pauli Festini loco illo p. 3 M., quamquam est corruptum, tamen effici videtur nullos nisi deos nominatim esse Saliaribus carminibus appellatos, et diserte dicuntur Salii in honorem deorum sua carmina cecinisse: Diomedes 476. 16 K; Dionysius Ant. R. III. 32; Macrobius Sat. I. 12, 12, quo loco laus caelestium a Saliis celebrari dicitur. Macrobii auctor hoc loco fuit Suetonius de anno romano, Suetonii auctores maxime Varro et Verrius, hi autem cum de carmine Saliari disputarent multa sumpserunt de copiis Aelii et Cloatii et fortasse Cincii, si modo eos aetate anteibat. De caelestibus autem deabus in nullam magis cadit hoc nomen Luciae quam in Lunam uel Iunonem, quae etiam *Lucina* et *Lucetia* appellabatur, Martian. II. 149; fortasse etiam Lux ap. Aug. C. D. IV. 23 una erat ex numero numinum Iunonis; nisi forte erat Mater Matuta. *Lucinam* sic interpretatur iure Plutarchus quaest rom. LXXVII *καὶ Λουκίναν Ἥραν καλοῦσιν οἷον φαεινὴν ἢ φωτίζουσαν.* Cum Lucina et Lucia nominibus deae et significatione et uoce / cognata sunt graeca *Λύκιος Λύκειος* cognomen Apollinis ut solis dei, et *Λυκεία*, Diana, ut Luna, quamquam quantitate differunt, et Lucius graece est *Λεύκιος*, nec ignoro plurimos graecorum ea a *λύκῳ* deriuata putasse. Sed Iuno etiam connubiis erat praeposita (de qua re cf. Preller Myth.[3] I 285 sqq.; 278 sqq.); itaque Matronalia, cum tempus eorum in primas Kalendas noui anni incidissent — Kalendae autem Iunoni, ut Lunae, erant sacrae — tamen a matronis maxime propter suae tutelae beneficia celebrabantur. Ut Diespiter item Iuno Lucina partui praeerat. Sed non modo in lucem edendis infantibus "coniuges reges", quos dicit Martianus, operam dabant, sed etiam maximam infantium tutelam gerebant, ut et ingenia et corpora alerentur. Quamobrem si non omnia, at plurima eorum numinum quae indigitamentorum testimonio connubiis praeerant tutelamque gerebant puerorum, Iouis et Iunonis erant numina. De Ioue cf. ad II c p. 7 sq. Atque ut uirorum

erant genii ita matronarum Iunones. Inter illas autem Iunones quae non tam matronarum quam puerorum gerebant curam erat dea illa ap. Aug. l. c. Volumna, quam cum Volumno coniuge finxisse uidentur Romani teneros animos firmantem, ut Iunonem Ossipaginam, – em Arnob. III. 30; IV. 7 Reifferscheid, quae duraret ac solidaret ossibus infantium corpora (cf. Preller l. c. 275 et ann.).

V.
Incertae sedis versus.

Pen(n)átas ímpen(n)átas ágnas — ⏑ — ⏑

Paulus Festi p. 211. Pennatas impennatasque agnas in Saliari carmine spicas significat cum aristis et alias sine aristis: agnas nouas uoluit intelligi.

A. cr.

'Que' libror. metri causa sustuli. Nihil attinet principalem scripturam reuocandi periculum facere exempli gratia sic: pinatas empinatas acnas. Cuius in honorem hic uersus sit dictus non liquet; si de re tam lubrica incertam licet proponere coniecturam, potest spectare ad deum Robigum, de quo Varro R. R. I. 1. 6. quarto Robigum ac Floram, quibus propitiis neque robigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestiue florent . Itaque publice Robigo feriae Robigalia, Florae ludi Floralia instituti. Plin. H. N. XVIII 284 D. Paulus Festi p. 267 M. Varro L. L. VI § 199. Gell. V. 12, 14. Ouidius autem deam facit Robiginem Fast. IV 907 sqq.; de qua re agit Iordan ann. ad Prelleri Myth.[3] II 44. Agnas cognatum est isl. ögn. suec. agn; goth. ahana pal. germ. agana primus contulit Aufrecht Ann. Phil. comp. I 353 sq; cognata latina acus -ĕris et acus -ūs ap. Colum. II. 10. 4. Brugm. Comp. I § 500; aliter Kluge Ann. Phil. comp. XXVI 312, qui graecum ἄχνη cum hoc comparat. Pen(n)atas prisco more pro pin(n)atas a pinna (ut muri, rotae; cf. suec. fena, ags. finn); pennae auium, quae cum pinnis his nonnumquam sunt confusae, antiquitus et quidem in Saliari carmine dictae sunt pesnae, (primo *pet-snae): Festus 205.

Singulae glossae carminis Saliaris ap. Festum et Varronem et Macrobium, quae conquisita ediderunt A. Lysander Hist. litt. 102 sqq. et Aem. Baehrens Frag. Poet. Lat. p. 30 sqq. et Havet de Saturnio p. 243 sqq., cum non modo non numeros, sed ne partes quidem numerorum impleant, hoc loco eas praetereo, indice enumerabo.

His subiciam uirorum doctorum, quotquot mihi cognita sunt, pericula Saliare carmen emendandi. Agmen ducat, ut par est, Iosephus Scaliger. Is append. in coniect. Varronian. p. 186 fr. primi duo uersus Saturnios posuit hos: — omnia ‖ Dapatilia co-

misse Iani cusiones || Duonus ceruses Diuius Ianusque uenit. Haec sic interpretatur: dapatilia (et dapatica) *opipara;* comisse *comedisse uel potius comesse;* duonus ceruses *bonus creator;* Diuius *et* Diuianus *qui postea Ianus;* cusiones *hic uero etiam pro ministris sacrorum.* Aliter p. 116. — Idem coni. p. 70 fr. II a: Divum exta cante, divum deo supplice cante.

Sequantur ii qui his temporibus sunt uel propiores uel aequales.

Grotefend Rud. ling. Umbr. II. 20 fr. I sic legit: Cozoíauloides eso; ómina enimuero || Ad pátula' ose' místse Iáni cusiónes || Duónus Cérus éset, dúnque Ianus vévet || . . . melius eum regum . . . . Sic interpretatur: Choriaulidos ero; omina enimvero ad patulas aures misere Iani curiones. Bonus Cerus erit, donec Ianus vivet. — Melior eorum regum . . . . Idem fr. II a Divom émpete cante || Divum Dío supplicáte. Div. emp. — impetu divino.

Düntzer et Lersch, de versu q. v. Saturnio p. 37 sic fr. I — Cósam lúdo sies || Ominá vero ad patulá, comise || Iani cusiónes duónis Cérusis, dum Ianus vénit || Nós meliósum résum . . . . Fr. IIa. Divóm exta canté, divóm deo súpplicante. Fr. II b (p. 35) Cumé tonás Leucētie, praétexére, mónti || Cúme índe hís tonárem. Fr. V (p. 37) Pennás impénnatásque águas. Interpretationem non dederunt.

Th. Bergk Op. I. 478 sqq. fr. I sic legit : a. Ozeul adosiose (*"Sol venerande sive inclute"*) b. . . . omína vero ád Patúlcìe místse || Iánitós Iánes: duonús cerus és . . . . (*"precationes vero admitte, Patulcie Ianitor Iane: bonus creator és"*). c. Dúonus Iánus aúctet, pó meliósem récum — Fr. IIa (p. 490) Dívum témpla cánte, dívum déo súpplicáte (div. templa *"caelum"*) Fr. IIb. (p. 492-4) cúme tonás Leucésie, praé tét tremónti || Quóm tibeí cúnei decstumúm tonáront.

Corssen eo libro qui inscriptus est Origines poesis Romanae his quoque fragmentis operam dedit. Eum librum uidendi mihi copia fuit nulla, ut hoc tantum pro specimine uel emendandi rationis ab eo adhibitae uel interpretandi transscribo, quod ap. Wordsworth p. 565 ex Corsseni libri p. 56 sumptum est: cozeulo dori esum — *"esum (h. e. cibum sacrum) in coceulum (i. e. ollam) dare"*. Quod cum uideo, mihi uenit in mentem id quod G. Hermann El. D. M. p. 612 de illo loco 'Cume ponas Leucesiae' et q. s. facete professus est: "nihil aliud" inquit, "dispicio quam mentionem esse urbis Luceriae".

Donaldson, Varronianus[3] Lond. 1860 p. 236 fr. I. sic legit: Chòraúloídor' és | ómina, énim vero || 'Ad pátula' óse' misse | Iáni cúriónes || Dùónus Cérus ésit | dúnqne Iánus vévet. Fr. IIa similiter atque Grotefend. Egger, sermonis vet. rel. Paris 1843 p. 75 sqq., et Wordsworth Fragm. and Specim. Oxf. 1874 p. 564 sp. aliorum inuenta tradiderunt, sua nulla protulerunt.

Iordan Btr. zur Gesch. d. lat. Spr. p. 224 fr. I . O Zeul adóriesis — † ómniaueroad || patúlcius clusívius — Iánus cusianus || duonu' cérus es duonu' Iánus prómeliós es récum ("adoriesis adiectiuum — *adoriensis; promelios recum — optimus regum"); p. 222 fr. II a codicum lectionem dubitanter retinens legit: díuum émpta cánte — diuúm deo súpplicánte ("diuum deo, ut *δῖα θεάων*"); fr. IIb qúne tonás leucētie — práe téd tremónt hemónes.

Havet de Saturnio p. 410 sqq. fr. I. Cozevi adoriose, † omnia vero ad; patulti oenus es; jancus, Ian [e], es; † dun; Ianus †vevet; po meliose im recum . . . (*"Consivi adoriose . . . . . tod; Patulti, unus es, janitor Iane, es; bonus Cerus es; . . . . . Ianus* . . . . "potissimum", meliorem eum regum . . . .*" Idem fr. IIa sic: Divum em pa cante divum deo supplicate *("Divorum eum patrem canite, divorum deo supplicate")* fr.

IIb: Cume tonas Leucetie, praï tet tremont ‖ Quot [i] ibe tet viri audeïsunt tonare *("Cum tonas, Luceti, praetremunt te quot ibi te viri audierunt tonare").*

Aem. Baehrens Fragm. poet. lat. p. 30 fr. 1: Ozéul o dómine, es ómnium ‖ patér! Patúlci Cloési ‖ es iáneús, ianés *es*! ‖ duonús cerús es oénus ‖ promélios déuom récum. P. 29. fr. IIa diuóm paréntem cánte, diuóm deo súpplicáte. Fr. IIb quomé tonás, Leucésie ‖ prae ted tremónti quót | † ibét hemúnis, déui, ‖ conctúm maré.

Commentaria.

Exordium capio ab hoc loco Pauli Festini p. 3 M: "Axamenta dicebantur carmina Saliaria quae a Saliis canebantur in uniuersos <*eos quos generatim inuocarent*> homines; nam in deos singulos uersus facti a nominibus eorum appellabantur, ut Ianuli, Iunonii, Mineruii" (pro 'homines' semones coniecit Hartung et Lysander Hist. litt. lat. p. 102, quod angustioribus, quam par est, finibus rem definit). Iis quae traditis uerbis, quae manifesto non integra sunt, intexui, ueram saltem sententiam restituisse uideor. Hoc enim sine dubio Festus dixerat, alios deos uniuerse ac generatim, alios nominatim a Saliis esse inuocatos. Et constat quosdam deos cum nominibus propriis carerent, generis nomine solitos esse uel pluraliter comprehendi uel singulariter significari. Velut carmine fratrum Arualium nominatim Marmars, Mars, Mamor, generatim Lares et Semones inuocantur. Item Salii, cum uerbis populi romani dis Indigetibus supplicabant, fortasse appellabant Lares Praestites, de quibus Ouidius V. Fastor. 129 sqq. "Praestitibus Maiae Laribus uidere Kalendae aram constitui paruaque signa deum — — causa tamen positi fuerat cognominis illis quod praestant oculis omnia tuta suis. stant quoque pro nobis et praesunt moenibus urbis et sunt praesentes auxiliumque ferunt". De iis cf. Plut. *κεφ. ῥωμ.* LI. Hi cum uniuersae urbis custodes dicantur, cura eorum ad uniuersum populum pertinere credita est. Ergo non iure hos cum Laribus compitalibus, qui primo sui cuiusque gentis ac uiciniae di fuerunt, Gerhard, Ges. Abh. I. 339, commiscuit. Camenae uniuersae inuocantur carminis Priami uersu ap. Varronem L. L. VII. § 28 ueterém, Casménas, cáscam rém uoló profári; et prímum — — — ('ueterem' Merula: 'ueteres' F; Casmenas est uocatiuo casu pluraliter; cf. Ritschl de D finali p. 117 sq. et Buecheler decl. ed. W. § 81). Eas etiam Salii carminibus comprehendere debuerunt; quod fama erat, quam tradidit Plutarchus Num. c. 13, a Numa Egeriam Camenasque in consilio habitas, cum ancilia de caelo cecidissent; locumque illum cum iis quae circa essent ab eodem Camenis esse consecratum. Si Penatibus populi romani uel dis patriis (cf. Hygin. ap. Macrob. S. III. 4. 13) uel Indigetibus uniuersis, cuius rei exempla dat Brisson de formulis p. 46 (LXXXV) sq., Salii quoque supplicabant, his locus in Axamentis attributus est; praesertim si Varroni credimus ap. Arnobium III. 40 Penates qui essent in intimis penetralibus caeli deos fuisse, nec eorum numerum nec nomina sciri. Sed haec quaestio non potest solui

propter ambiguitatem nominis Penatium. Sacra quidem Penatium non nihil ad Salios pertinuisse ex eo ipso conicio quod ponunt "nonnulli" ap. Seru. ad Aen. VIII 285 hos a Dardano institutos, qui Samothracibus dis sacra persoluerent. Cf. Plut. Num. p. 135, 8 S. Corruptus ac perturbatus locus est scholiastae P. Danielis ad Aen. II 325 "et Samothraces horum (quos Aeneas aduexit) penatium antistites suos (?) uocabant, qui postea a Romanis Salii appellati sunt, hi enim sacra Penatium curabant"; tamen hoc non ab ipso quidem esse fictum apparet quod ad hoc scholium et Varronis et Nigidii et Caesii doctrina usus est. Idem enim scholiasta sic pergit dicere: "quos tamen Penates alii Apollinem et Neptunum uolunt; alii hastatos esse, et in regia positos tradunt. Tusci Penates Cererem Palem et Fortunam esse dicunt". Nam Nigidius ap. Macrob. III. 4. 6. penates Troianorum dicit esse Apollinem et Neptunum; hastati autem sunt illi *νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες*, quos templum suum habere et in aliquot templis romanis conspici Dionysius Antiq. rom. I. 67 sqq. dicit; confusi sunt saepe hi et Castor Polluxque, quos Varro ap. Seru. ad. Aen. III. 12 magnos deos esse dicit, eosdem Penates; Caesius denique ap. Arnob. III. 40 Fortunam et Cererem, Genium Iouialem ac Palem penates nominat. Sed ex nulla harum rationum intellegitur cur Salii sacra Penatium curare dicantur. Ac magis ex eo talis opinio nasci potuit quod, ut Arnobius auctor est, "non defuerunt qui scriberent Iouem Iunonem ac Mineruam deos Penates existere"; nam hos deos Salii carminibus uenerabantur. Sed illa causa mihi uidetur probabilior quod praeter ceteros Iuppiter et Ianus et Quirinus antiquissimis temporibus — ut mihi quidem uidetur — praesides di ac Penates populi romani habiti sunt; quod cum ex aliis apparet tum ex eo quod his tribus dis propter spolia opima sacra fieri iubebantur, Fest. p. 189. In eorum tutela dicuntur Salii esse. Seru. ad Aen. VIII. 663 "Salios. Qui sunt in tutela Iouis, Martis, Quirini". Cf. Procop. Goth. I 25 p. 122 *ὁ δὲ Ιανὸς οὗτος μὲν ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν οὓς δὴ Ρωμαῖοι γλώσσῃ τῇ σφετέρᾳ Πένητας ἐκάλουν*. Ex hoc quoque eius rei causam repetere possis. Cum caelestes deos Salii carminibus comprehenderent, ii qui deos duodecim Consentes pro Penatibus habebant, quam etiam sententiam protulit Varro ap. Arnob. l. c. et Martianum I. 41. Eyss., Saliis curam quoque Penatium attribuebant. Certe non potuerunt primo Salii quidquam ad Samothraces deos pertinere. Scholiasta igitur Danielis rem turbauit; sed ille locus non uidetur esse integer. Utut est, nihil lucis ad hoc quod quaerimus ex eo loco affertur. Sed de Axamentis haec hactenus.

Singulis dis quibus facti a quibusque cognominati sint uersus Saliorum quaerere aeque lubricum est. Praeter ceteros deos Iouem Ianum Quirinum a Saliis honoratos esse ueri simile est propter hoc quod proxime dixi; maxime uero Martis laudes celebrare opemque implorare oportuit eos, qui Martis essent, ut dicit Varro ap. Seru. ad VIII. 285, (ubi quod Varro de sacris Herculis dicit ad Tiburtinos Salios uidetur pertinere), et Liuius I. 20. 4, et Lucianus de Salt. 20. Quod Dionysius (u. Ant. rom. II. 70; III. 32) dicit Salios laudes militarium deorum canere armatos, *οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνόπλων θεῶν*, spectat ad Martem Quirinum Pauorem Pallorem, de qua re aliter Dionysius, aliter Seruius l. c., hic disserere mihi ad alia ac diuersa properanti nullus locus est. Verum ex certis argumentis apparet Salios Marti non modo ut bellis praeposito, sed etiam ut ueris ac noui anni deo sacra solemnia peregisse. Item ceteri caelestes quod tempestates rerumque naturam moderarentur vitaeque humanae essent rectores

atque custodes, carminibus eorum canebantur. Hoc diserte affirmat L. Cincius grammaticus, de quo u. Teuffel-Schwabe H. Litt. R⁴. 117. 4, ap. Macrob. S. I. 12. 12. Is, cur nomen Veneris posterius esset, hoc argumentum dicit, ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ullam, ut ceterorum caelestium, laudem celebrari. Cincio ("Cingio" ll.) de Venere etiam Varro consentire dicitur a Suetonio Macrobii auctore. Fortasse Veneris numen sub alio nomine in carminibus Saliorum latuit. Praeterea non modo caelestes deos in Saliorum carminibus esse nominatos coniecturam facio ex eo quod cum magni illi ac caelestes di terrestribus numinibus uitae humanae agrisque colendis interesse crederentur, terrestres a caelestibus non ab omni parte separabantur. Certe praeter caelestes alii comprehenduntur eo quod auctore Suetonio usus (ut diss. O. Iahn M. Rh. VIIII. 629 Keil praef LIV) dicit Diomedes 476, 15 "Numam Pompilium — cum Salios iuniores aequis gressibus circulantes induceret et spondeo melo patrios placaret Indigetes".

Ad fragm. I.

V. 1. Zaul scripsi, reiecto eo quod traditum est zeul, quod posteriore uoce fuisset *soul *sūl. De eu > ou > ū Th. Birt Mus. Rh. XXXIV. 1. sqq. Kruczkiewicz Ann. G. Austr. XXX. 1. sqq. G. Meyer in Ann. iisd. XXXI 118. Iordan Krit. Beitr. p. 31. — Zeul iure improbauit Schweizer-Sidler Nou. Ann. CXXIII 43. Nullum certum exemplum inueni latini uocabuli cuius ō per ou ex eu factum sit; nam *oupilio ōpilio (upilio) non habuerat primo eu; de osco sermone sumpta (Nounies) Nonius (Núvla) Nola. Diuersum quod au per ou (o) ad ū deductum est: naugae nogae nugae, claudus Claudius claudere clodus Clodius clodere cludus Cludius cludere, raudus raudusculum rodus rudus Fest. 265 Ritschl op. II. 425. Horum ō ab ōu est: *bōus bōs, *mŏutus *mōutus mōtus, *uŏutus *uōutus uōtus. Zaul uero non tam uoce quam litteris dissimile recto sol. Sāul enim (uel soul) dictum esse cum scriberetur per au et cognatio stirpis et proprietas quaedam sermonis declarat. Europaea enim huius uocabuli forma fuit sāuel sāul; quod minus ex graeco iudicatur, quoniam ἀβέλιος ἀέλιος Ἀέλιος Ἄλιος Ἅλιος ἠέλιος ἥλιος aeque potest esse factum ex *ἀϝσέλιος (Curtius) atque ex *σαϝέλιος (Pott, Benfey); magis ex aliis linguis: goth. sauil scand. sōl lit. sáulë; nam ex celticis formis dubito an non liceat certam in hanc partem facere coniecturam (u. cum alior. locos tum Curt. et.⁵ 551). Iam uero constat latinam fuisse uarietatem quandam easdem uoces scribendi modo per o, modo per au. Historia docet haec esse origine tripertita. Primum genus eorum quorum dictae sunt principales uoces ante latinae lingae aetatem per au et ou: auris, gr. οὖς, auricula oricula; *auis, auilla, gr. αἰ-πόλος (καταχρηστικῶς etiam αἰπόλος αἰγῶν ϱ 247 et all. ll.): ouis gr. ὄϊς; auis auspicari ospicatur, gr. *ἀϝι-στός αἰετός et *ὀϝιωνός οἰωνός. Sed quia de hoc genere singillatim perquirere est ab ratione huius annotationis et huius libelli alienum, lectores delego ad Saussure Systemat. p. 100 sqq. Hübschmann Systemat. p. 104 sq. Osthoff ap. eundem p. 190. Brugmann Gr. Comp. I. p. 74. In hoc genere: saul sol. Alterum genus quorum principales uoces per o dictae sunt: ōs, scr. ās Curt. et.⁵ 375 sqq.: *aus, osculum osculari

ausculum ausculari Havet M S L IV 233; 410; cōtes cautes Havet l. c. . . Sed quod dicunt Nettleship Essays p. 50 et L. Havet M S L VI. 25 Faunum dictum esse quasi Fonum a fando (iam antiqui a fando, locis a Nettleship l. c. enumeratis addendus est Martiani 167), minus probabile mihi uidetur quam id quod dicit Buecheler lexicon Ital. s. u., a fauendo. A svor — cf. *(per-)suona per-sōna — (Apollo) Sōranus (u. Quicherat lexicon poeticum); Sōra Sōr-acte Hor.: Sauracte Cato ap. Varronem R. R. II. 3. 3; *c°l°dos clōdus, cf. scand. haltr, Clodius clodico, claudus Claudius claudico. — Tertium genus a et u principales litteras mutat ō littera: ausum ab rad. aus, unde Aurora (Sabini ausum Paul. Fest. p. 9 M.) aurum: rustici ōrum Paullus l. c.; aula Plautus et Cato ex *aucsla, cf. demin. auxilla et Corss.[2] I 349: (ōla) olla osc. ola (?).

Grammatici ueteres alii aliter constituunt utrum o an au sit antiquius. Probus 118. 37 K "sunt nomina quae o litteram et in au litteras conuertunt, ut puta lotus et lautus et cetera talia". Priscianus autem I 39. 7. H "(au) transit in o productum more antiquo, ut lotus pro lautus". (Cf. Quint. inst. I. 4. 13). Prisci moris fuit modo per au scribere, modo per o, ut temporibus non possit discerni ea scribendi uarietas; nimirum casu factum atque monumentorum antiquissimorum paucitate, ut alia per au, alia per o antiquitus scripta esse uiderentur. Magna, sed indigesta exemplorum moles est ap. Corssenum I. 656 sqq. Plautios C. I. L. I 54, saec. V aut VI; circa eadem tempora Pisaur. Pola C. I. L. I. 177 Pola Falisc. 19 Schn.; Ofdius (= Aufidius) C. I. L. I 287 saec. VI; OⱯV (= Aulus) Gar. 488. Cosae, fortasse VI saeculi propter l litterae formam, sed hoc minus certum de tuscis; saec. VI uidetur esse scriptum propter eandem causam Colionia in stel. Praen. I. 97, 98, sed num ex hoc genere sit, incertum est; Poldia epitaph. Praen., saec. VI fortasse, Gar. 735 Schn. 203. Cetera exempla monumentorum, quae sunt posteriora VI. Saeculo, eadem sunt uarietate; tamen plura scripta per au; u. Corssen l. c. In plautinis codicibus modo osculari, modo ausculari traditum est; "raudus uel rodus" Fest. p. 265. Est etiam, sed rarior, eiusdem uocis scriptura per ou: sequente consonanti roudus Accius in Melanippo Fest. 265, si modo lectio est uera; uocali sequente: *ablouo (cf. lauo) abluo, *elouacrus eluacrus Stolz Gr. p. 149; ouis, quam uocem aduenticiam esse Haueto MSL VI 18 assentiri non possum. Paulus Festi 191 "† Obpuuiat, uerberat, a † puuiendo — — unde et pauimenta". Legendum est pouiendo, quod uariante usu scribi potuit pro pauiendo, puuiendo non item, nam inter naugas et nugas mediae sunt nogae. Item legendum obpouiat, quod prisca uox numquam patiebatur V litteram sibi succedere. Proinde pariter Pauli Festi p. 70 lege: "Depouere caedere. Lucilius: palmisque misellam Depōuit me". Cf. pouer puer, gr. *πάϝις πάις παῖς. — Quoniam igitur tribus modis eandem uocem sine ullis certis temporum discriminibus signatam esse uidimus per ō et ou et au, intellegitur eam uocem litteris non satis potuisse exprimi, fuisseque et mediam earum et diphthongum. Sequitur ut a nobis scribi possit fere sic: åu (ou). Rustico et cottidiano usu obtinuit per primum quidem imperatorium saeculum et fortasse diutius. Festus 182 orata orum oricula "rustici dicebant". Insigne exemplum memoriae prodidit Suetonius Vesp. 22 (Vespasianus) "Mestrium Florum consularem, admonitus ab eo, plaustra potius quam plostra dicenda, postero die Flaurum salutauit". Haec satis declarant, cur assentiri non possim Haueto uerba aliquot latina per au scripta, per ō prolata esse antiquitus (Hauet MSL IV 234 Les formes ausculari — — nous font voir que

la dipthongue graphique AV a parfois été employée a noter le phonème ō). Hoc enim cadit in postremam aetatem uiuae uocis latinae, nec in priscam nec in mediam cadit. Finitimum huic generi est est illud genus quod a et u litteras scriptas pariter uoce reddit. Hoc idem factum esse prisco et rustico more ut au dicerent, non o ex eo intellegitur quod nonnumquam a in locum au diphthongi datum est: Augustus Agustus similiaque, u. Corssen² I. 663 sq. Schmitz Btr. z. lat. Spr. 96 sqq. Ex hoc genere est Aurēlius Arellius. Sed redeo ad id quod quaeritur. Grammaticorum disciplina ac scribendi ratio uidetur urbani atque elegantis sermonis discrimina imitata esse eo quod scripsit: audeo: sodes; codex (caudex "antiqui": Seneca de breuitate uitae c 14. 3) caupo: copa; (ōla) olla, osculari, ostrum, sol; et rursus: raucus plaudo auspicari plautrum Diomedes 382 Priscianus I 53 (plostra leg. Iul. mun. 60) aurum auriga auris. Haec igitur etiam uoce differebant aliquid, et quidem sic, credo, ut quae per a et u litteras scriberentur, ea per easdem proferrentur, pariterque ea quae per o scriberentur uoce ac scriptura congruerent; neque enim quod ad antiquiorem aetatem attinet, ullum hoc in genere falsae aut inuersae scripturae indicium exstat, et uidimus eruditam uocem ab illa âu diphthongo abhorruisse. Sunt tamen litteris tradita quae scripturam uarient: Cauda et coda, caulis (-es) et coles (-is), caurus et corus, Aulus et Olus, lautus et lotus, caupo et copo; haec discreta usu: Claudii a Suetonio nominantur homines illius gentis imperatoriae: Clodii nonnulli sunt ap. Senecam Rh. p. 297; 404; 455; 456 M.; alii Plautii, alii Plotii; Taurius CIL. I. 1555, cf. Fest. 360: Thorius. Sed plerumque ea quae hoc in genere per o scribebantur uidentur fuisse sermoni cottidiano uulgarique propiora, et fortasse hic quoque uox illa rustica âu sonabat. Quippe plebeia uox non omni parte potuit ab erudita remoueri ac separari. Et in libris uulgaria illa tum certo consilio posita sunt, tum quod scriptores sermone magis uulgari utebantur. Certo consilio Cicero uulgare illud usurpans scripsit loreolam in mustaceo quaerere ad Att. V. 20. 4; idem Appium Claudium constanter dixit, at Publium Clodium. Aliter autem comparata sunt haec: pollulum Cassius ep. fam. XII. 12. 2.; ospicatur Claudius Quadrigarius ap. Diomedem 383. 10.; eum Claudium Fronto ap. Gell. VIII. 29. 2 dicit fuisse uirum prope cottidiani sermonis; Sauracte (pro Soracte) Cato ap. Varronem l. q. d.; ōrīga Varro ipse R. R. II. 78; 84. Hoc uero, quidquid inter rusticam et urbanam uocem hoc in genere intererat, qualecumque crat, non plane scriptura exprimi potuisse, ex eo intellegitur, quod scriptores ut id discrimen ostenderent, si ratio scribendi au postulabat, rusticam ac priscam uocem per o reddebant, sin o, per au. "Rustici ōrum", Fest. p. 191; plōstrum rusticum dici uidimus, aliaque nominauimus; — et porro: Sauracte Cato l. q. d.; "aulas antiqui dicebant", Paulus Festi p. 23, et "aulicocia exta", "scrautum uocabatur pelliceum" Fest. 332, cf. austia Gar. 2189. Quando uulgaris illa âu diphthongus in simplicem uocem conuersa sit, constitui non potest. Diomedes quidem simplicem fortasse sonum dicit 383 K "au syllaba cum o commercium habet, ut cum dicimus 'claustra' et 'clostra', 'cauda' et 'coda' et similia". Planius Priscianus I 39. 8. Sed propter ea quae disputata sunt, uera diphthongus, non inuersa scriptio subesse uidetur his: craudelis Graff. Pomp. XIX. 7 ap. Corssen de pron.² I 359 et Spauri[os] (?), si uerum est, Gar. Syll. 818.; aumatium Petronius fr. XIII p. 109 B ed. 2.; quod suspicor esse a recto *ὀμμάτιον*, et, quoniam item aurichalcum ap. Plautum aliosque est ab *ὀρειχάλκῳ* (Paulus Festi p. 9, u. annot. C O Muelleri ad h. l.),

dubito an non sit uerius austrum ap. PriscianumI. 39. 10, quod Graeci dicebant ὄστρεον, retinere quam auctore Haueto MSL IV 233 austium pro eo legere. Umbri autem cum o pro au ponerent non modo similiter ac rustici latini Plotos Fest. 238, sed etiam ote, toru, u. Corssen I. 661 Buecheler Umbric. 180, utrum simplicem uocem an diphthongum dixerint ignoro. Ea uero mutatione quam attulit praepositio nata est simplex uox, cum aliquid ponderis in praepositionem esset inclinatum detractumque de parte posteriore: lautus inlotus plaudo supplodo claudo occludo; cf. laedo illido, poena impune. Hoc igitur diuersum.

V. 1. Adoriese, quod Varroni fuit exemplum s litterae pro r ab antiquis dictae, 2 p. sg. imp. praes., post adorire, ab adoriendo, id est inuade; ita, credo, dictum ut oriendi uis in hac orientis solis uel Iani patris Matutini salutatione non omnis tolleretur. Donatus quidem ad Ter. Ad. III 3. 5. hanc principalem uim significat his uerbis: "adoriri est quasi ad aliquem oriri, id est, exsurgere". Primo dictum est *adorīeso, post adorīe-se, tum *adorīse, postremo adorīre. — so = σο 2. p. sg. imp. medii Speijer MSL V 188; item conferri oportet Zend. -ha, goth. -za. Speijer ostendit -so factum esse -se, ut *epso, ipse. In aliam sententiam Stolz Stud. Vindob. IX. 2 p. 302 sqq. disputans, etiam secundae personae terminationem nota passiui r esse impressam contendit. Quod mihi secus uidetur; -r enim et -ŗ (= ur) latina lingua illa nota passiui utitur, non -re. Et consentaneum fuit antiquam et medialem imperatiui terminationem retineri, praesertim secundae personae, ubi medialis fere esset significatio, non passiua. Nulla quidem in hoc genere passiua inueni, multa deponentia, i. e. mediali significatione; sed paucis exemplis res potest absolui. Ac primum non thematica affero: *fā-so *fā-se fa-re; cf. φάο Hom., ἵστασο; deinceps thematica: *sequĕ-so *sequĕ-se sequere, Hom. ἕπευ, Pind. μαντεύεο; *laitaie-so *laitaie-se laetāre, similiter Dores *ϑαεσο ϑάεο; oscis quibusdam thematis uocalis exstat praesentium declinatione seruata: sakahiter stait staiet stahint praes. ind. Bugge Stud. Ital. p. 51. *Vereieso *-se, verērе, similiter graeci *αἰδείεσο αἰδεῖο Ω 503; *tūieso *-se tuĕre Lucret. V 318; de hoc themate agit Curt. de uerbo I² 365; is confert Herod. I 456 μεϑνίω.

Orĭor orĕris dicitur declinatione ex duabus stirpibus orĭo- et orĕ- contaminata; item orĭor -īris ex duabus stirpibus orīo- orīe- et orĭo-, orĭe-; -ĭe- enim pariter atque -īe- prisco more factum est semper -ī-. Nam gen. sg. 3 declin. -ĭs est non ab -ios, sed ab -ĕs, quod exstat in monumentis sec. V. et VI.; aliis, goth. aljis, latine in u. Naeuiano ap. P. Fest. 271 est alīs, id postulat metrum; 'alis' ap. Catullum, de quo u. Alex. Riese prolegg. p. XXVII, ultimam coripiat an producat, non quit decerni. Obĭcis obĭcem obĭcit dicuntur posteriore uoce eaque fluctuante; ap. poetas quidem sonat et ōbicit i. e. obiicit et ŏbicit; de qua re disputat Gellius IV. c. 17. De ceteris, quorum -ie- per contractionem ī, non ĭ, facit, u. Thurneysen de uerb. in io p. 45 sq. — Iam uero ne quis sic metiendum esse censeat *adorĭe-se, cum quarta coniugatio contaminata et permixta esset ex praesentium in -io desinentium uetere positione et denominatiuis in -īo desinentibus, fieri non potuit quin stirpis ī produceretur, cuius longitudo facile appareret ubi ipsum per se exstat, non additis illis thematis uocalibus, infinite utroque genere audī-re ad-orī-ri (aliter *cupĭ-se cupĕ-re), item actiuo genere audī-ui, de quo perfecti indicio commemorat Mahlow ā ē ō p. 13 sq. Et Osci huius coniugationis coniunctiuo modo eandem stirpis longitudinem usurpabant: putiians putiiad 50. 6. 7. 8. Zv. I. O.

turumiiad 50. 9 heriiad 49. 9. Nam -ii-, id est ī, ad stirpem uerbalem, non ad coniunctiui terminationem pertinere facile apparebit, si contuleris deicans TB 9, i. e. dicant.

V. 2. Verom ad patula coemis es ianeus, Ianes sic interpretatus sum: portarum ad patentes aditus comis es ianitor, Iane (Ianis).

Verom gen. plur., 'portarum'. Eius uocabuli positione latina fuerit rectus singulariter uerom an ueros secundae declinationis, an uera primae, eo magis dubium est quod figuram uariant cognatae linguae. Osce enim dicitur veru(m) acc. sing. Zvet. I. O. 80 et 81 anter tiurrí XII íní veru sarinu, ab Umbris autem dicebantur pluraliter, eadem significatione qua ab Oscis singulariter, *veras feminini generis et primae declinationis, abl. veres veris verer, acc. plur. veruf, verof, u. Buecheler Umbr. p. 221 s. u. Cognata sunt palaeoslav. vrata n. pl. porta, at-verti recludere, priverti, su-verti claudere, boruss. et-vere recludis Fick thes. IV 283 s. r. "var claudere tegere". Atque etiam latina uerba eadem radice exstant *ap-verio aperio, *op-verio operio, quae et cognatione sunt coniuncta et significatione conueniunt cum scr. apavârâyâmi, apivârâyâmi; quod uiderunt Pott E. F. I 225 Bopp. Gl.[3] 343[b] Ebel KZ VI 202 (minus probabiliter Corssen haec dicta esse uult a par, et Curtius ab ar). Haec uidemus non posse cognata esse cum foribus latinis nec ducta a radice dhver dhvor dhur, unde et forum et fores: *þuorom (Brugman Gr. comp. I p. 284) latine forum Ioh. Schmidt ap. Nissen de Templo p. 141, umbr. furo Buecheler lex. ital. p. IX; quibus sunt significatione similia et uoce cognata ind. dvāram, lit. dvāras palaeosl. dvorŭ cohors; lat. fores *forae graec. θυρ-α, goth. daúr leui stirpe Brugman Curt. Stud. IX. 394 sq. et Hübschmann Vokalsystem § 192. A þv- enim f- est in linguis italicis, non v-; ut *fuâm fām (lat. -bam) Thurneysen BB VIII p. 280 sqq; cf. etiam Kluge PBB VIII 339 Danielsson Pauli Stud. IV 165.

Vērōm ad per synaloephen communi more legere nihil est quod dubitemus; nihil enim offendit elisa longa ultima in breui; de qua re copiose disp. M. Haupt Op. I 88 sqq. Sin uĕrōm fuit breui paenultima, ultimam corripit in hiatu: vĕrŏm ad pat. Cf. Hor. Epod. V 100 Esquilinae alites et aliquot Plautina, sed ualde dubia, ap. Schneiderum Gr. I. 1. 148 et G. Hermann. el. doctr. metr. p. 207 et Lachmann ad Lucret. p. 194 sqq. et Bergk Beitr. p. 114 sq; — aliter Ritschl de D finali 106 sq; 113 sq. al. q. l. — cf. Goetz ad Plauti Trin.[3] 560 et CFW Mueller Additam. p. 76 sq.

Illud quoque dubito, enuntiem patŭla, an, ut primo quidem dicebatur, patlā; cf. Fostlus CIL I 362 = Faustulus, Catulus graece *Κάτλος*, umbr. katles = catuli, osc. pestlom, Patlacius Gar. 1655 — poplom tableis Treblanus —. Posterior autem uox hanc asperitatem — quod docet Ascoli Litt. Glott. IV p. 76 sqq. — alias aliter fugit; ut stlis factum est lis, stlocus locus, vetlus tum vetulus tum ueclus; cf. Ascoli Stud. crit. p. 145 ed. germ. Hoc loco semel moneo me Ricardo Klotz et Hermanno Usener assentiri Saturnia membra quater feriri primo solita esse. Sed cum nullus esse error possit, ubi postremo ictu uersus feriatur, eum ictum non signaui nota superposita Exempli causa hoc membrum pono: uero[m] ád patulá coemís es; quod sic legi debet: verom ád patlà coemís ès.

Verom ad patula (patla). Intersertae inter attributum et regens substantiuum praepositionis nulla exempla antiquiora Caesare dat Kuehner Gramm. II p. 424 e.; sed

in Enni Heduphageticor. 9 V, Sat. 58 M. est Nestoris ad patriam; Plautina exempla dat Studemund Act. Phil. german. XXXVI p. 49 sq., et quidem 'ad' praepositionis interiectae p. 50: Rud. 188 B Asin. 825 BDEJ Trin. 722 BCD.

Verom ad pat. dictum est per prolepsin quasi 'ad portarum aditus a te patefactos' pro eo quod expectes 'ad patefaciendos'; et hoc modo uis praesens dei magis ostenditur, quippe ubi Ianus benigno numine adsit loca dicuntur patula, cetera clausa. Nigidius quidem Figulus ap. Macrob. I 9. 6 Ianum confert cum Apolline quem *Θυραῖον* dicant quasi exitus et introitus potentem. Augustinus de Ciu. dei VII 2 "ipse Ianus cum puerperium concipitur, — aditum aperit recipiendo semini". Auctor Macrobii I 9. 9, fortasse Cornelius Labeo (u. Wissowa de Macrob. Sat. fontibus p. 43): "Ianum quidam solem demonstrari uolunt et ideo geminum quasi utriusque ianuae caelestis potentem, qui exoriens aperiat diem occidens claudat: inuocarique primum cum alicui deo res diuina celebratur, ut per eum pateat ad illum cui immolatur accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat". Ianus igitur Patulcius dicebatur et Clusiuius, Id. ap. Macrob. l. c. § 15. Ouidius Fast. I 117—123 Ianum haec dicentem facit: "quicquid ubique uides, caelum, mare, nubila, terras: omnia sunt nostra clausa patentque manu. me penes est unum uasti custodia mundi, et ius uertendi cardinis omne meumst. — praesideo foribus caeli cum mitibus Horis; it redit officio Iuppiter ipse meo". — Patula igitur passiue quasi quae patefiant. Ceterum hoc loco non adiectiuum est, sed substantiuum pariter ac tum cum creuit praepositione, propatulum. Nam priscus mos abhorruit a genetiuo non partitiuo ex adiectiuo pendenti ad hoc exemplum: "acuta belli". Vide Schmaltz IMA II Synt. § 70 ann. 2. Reisigian. Schol. ed. III. p. 553. Draeger Syntax[2] I p. 48. Riemann Stud. p. 102. Kuehner Gramm. II. p. 317 ann. 11. Haud scio annon sit alienum commemorare graec. *πέταλον* esse non adiectiuum sed substantiuum, de quo Bugge Stud. Ital. p. 11.

V. 2. Coemis es Ianeus, Ianes, 'comis es ianitor, Iane' (Ianis).

Coemis, comis. Primo fuit *co-guem-is a radice g'em (veniendo), lat. uen-iō. (primo *guemiō Thurneysen de uerbis in -io des. 30; Osthoff de perf. 509; gm-nió Bezzenberger BB X 72; aliter Ascoli litt. glott. III 62 sqq.). *) Cognatum est couentionid S. C. de Bac; cuius mutationum gradus iidem: *cŏ-guen-tiō > cŏ-uentiō > *cŏentio > cōntio et *cŏguem-is > *cŏ-uem-is > cŏemis > cōmis.

*) Nunc uideo Henry Gramm. comp. 169 ann. 2. similiter ac me de adiectiuo comis iudicare: "comis affable = *co-uem-is rad. uem, la même que uen dans venire". Quod mihi pergratum est. Sed illud monendum censeo primam formam non fuisse co-uemis; nam primo dictum esse coguemis apparet ex praeposito non con-, sed co-, ut co-gnatus co(g)niti co(g)niuere Lachmann ad Lucret. 136 Fleckeisen M. Rh. VIII. 229 Ritschl Op. II 449. Peruetustum igitur compositum est couentionid S. C. de Bacan. — aliter enim comparatum est in eodem monumento comuouisse et cou numis i. e. couenimus C. I. L. I. 532; illa autem con-uentus conuiua post facta quam gu- in u- mutatum erat. Neque enim a *couiria est curia — sic Bréal M S L IV 143 — sed *cusia curia est cognatum cum cus-(s)to-de; cf. Fick thes. 1[3] 51 et Grimm Myth.[2] 922 (Kluge thes. s. u. Haus aliter; minus probabiliter Corssen I 353). Et g- primae uocis aetate italica communi quam dicunt, si v sequebatur, nondum erat detrita; nam qui latine uiui, ii osce dicuntur biuus. quod lat. uen- id osce est -ben-, umbr. ben-.

Iam uidimus metrum huius loci de quo agitur postulare priores syllabas corripi sic: cŏĕmis. Haec forma sine dubio posterior carmine Saliari, quia tum cum Senatus consultum de Bacchanalibus factum est par uox couentionid u seruabat; quod genus contractionis uel ēlisionis — siue V consonans proximae uocali insedit siue suppressa ac detrita est — Plauti quidem aetate non absolutum sed fieri coeptum est, quod plenae formae perfectorum apud eum multo sunt frequentiores quam ap. Terentium, ut demonstrauit Engelbrecht Stud. Vindob. VI 216 sqq; itemque Naeuius mauolunt, Plautus mauelim mauellem Neue² II 606; de perfector. formis in titulis scriptis olim disputaui G. F. Diff. p. 91. Praeuides in lege agr. anni 643 nimirum non cogit praedes usitate non esse dictos illo tempore, praesertim cum leges antiquitatem scriptionis diutius retineant. Ergo tum cum carmen Saliare factum est, hoc uocubulum fuit hac forma: cŏguĕmis aut cŏuĕmis; nam ut harum quoque uocum priores syllabae corripiantur nimirum metrum aeque flagitat.*) Videndum est igitur ut haec ratio constet sitne prima — nam de media res expedita est — syllaba natura breuis. Hoc accuratius perquirendum et haec tria demonstranda. Primum, inde ab initio dictum esse *cŏ-guemis, non cō-guemis; alterum, a cŏguemis nulla pro ductione primae syllabae fieri oportuisse cŏ-uemis, non cō-uemis, tertium a cŏ-uemis, cŏemis non cōemis.

Primo fuit cŏ-guemis, non co-guemis. Praepositionis huius, si praefigitur, tres formae, com - con - co-. Cŏm- et cŏn- uocalem corripere declarat cognata uox *κομιός κοινός* Curt. et.⁵ p. 544 Bersù de guttural. p. 177, et Lucilius ap. Non. 10. 31 "uiuite lurcones cŏmĕdones, uiuite uentres, et Plautus Rud. 769 in exitu septenarii "in ignem cŏnĭciam," et Cicero Or. 159 "indoctus dicimus breui prima littera, insanus producta: quibus in uerbis eae prima litterae sunt quae in sano atque felice in producte dicitur, in ceteris omnibus breuiter, itemque cŏmposuit cōnsueuit: — cŏncrepuit: cōnfecit"; cf. Gell. II. 17. 1 sq. et IV. 17. 6. Hertz edd. 2. et 3. Suppressa autem nasali m et n, quae quibusdam in dictionibus erant exigu aeuocis ac paene nullius, dicebatur cŏ-; ut num dius (est tertius) nundius (tertius) quod ap. Plautum Loewe inuenit, postquam subtracta est nasalis littera, ŭ non producta dicebatur nŭdius t. Ritschl N. exc. Pl. p. 91. Mitto cŏemo et cŏorĭor et cŏhibeo, quorum prima uocalis etiamsi primo esset producta, tamen ante uocalem corripi potuit; sed a cŏ-smĭte esse cŏmitem probabiliter dicit Buecheler M. Rh. XXXVI 241 (aliter Iordan Btr. p. 132); cosmis, quod exstat in tit. Dueni, antiquior forma, cŏmes posterior; eadem ratio est inter aedis et aedes, uerris et uerres Corssen II 228; quorundam utraque forma simul fuit in usu: felis et feles ap. Plautum et plura contulit Corssen l. c. 227 sqq. — Cŏsmis : cŏmes = Căsmenae : Cămenae = Căsmillus : Cămillus. Nihil interest ad hanc rem Camenae eaedem atque Carmentes, quod negat Nettleship Essays p. 50, necne fuerint. Quaecunque cō- prima syllaba producta dicuntur productione affecta sunt secundaria : cŏōpertus cōpertus Gellius II. 17. 7; connexus autem cōnexus colligatus cōligatus Gell. l. c., connubium cōnubium longitudinem syllabae a sequente continua aut geminata consonanti in praecedentem uocalem transtulerunt. Quod disseruit Ioh. Schmidt Vocalism. I 98 sqq. detrimentum sublatae n litterae uocali nasali et longa compensari, id ei assentiri non possum. Neque enim si scriptione omissa est n, uocalis antecedens producitur, nisi

*) Quod dubito, in carmine Saliari primo dictum sit coguemeis an couemeis, satius esse duco non mutare coemis quod ap. Varronem traditum est, secutusque sum rationem Ritschelii, quam et uerbis, Op. II 725, ad Trin² 862, et re commendauit, ne antiquissima quaeque emaxime captarem, nisi certo atque aequabiliter possent restitui.

iis locis ubi tum etiam cum insequens n scriptione addita est, ut ex grammaticorum testimoniis ac monumentorum intellegitur, eadem uocalis est longa. Sic igitur hoc factum: *cŏnsol cōnsol (cf. Ciceronis uerba l. c.) cōsol, ut Quīnctilis Quīctilis. Cōniti cōniniueo sunt non ab ipsis *cŏgniti *cŏgniueo breui prima syllaba dictis, sed longa *cōgniti *cōgniueo. Mihi enim item, ut Schmitz Btr. z. l. Sprachk. p. 59 et Marx de syllabis positione longis p. 1 et magis dubitanter C. F. W. Mueller Nachträge p. 42 suspicantur, uerisimile est Prisciani praeceptum I. p. 82. 7. H. de uocali producta quorundam uerborum, si sequantur g et n litterae, non in paenultima solum uersari; sed, quoniam alia g supprimunt, ut antecedens uocalis longa fuisse uidatur, alia retinent: cognatus cognomen cognitus (cf. KOΓNITOY C. I. G I 1060 ap. Schmitz l. c.), credo in hoc genere fuisse uarietatem uocis alia producentis, alia corripientis. Quamobrem dubium est Plauti Bacch. 963 "cógnitum ab Helena ésse proditum Hécubae sed ut illim ille se" legendum sit 'cōgnitum —', an positionis genere etiam Plauto fortasse usitato syllaba producatur, an utrumque factum sit. Et haud scio an paullulum a uero aberrauerit Lachmannus quod dicit ann. ad Lucret. p. 136 "co- productum sine exceptione scribi ante gn". — Illud autem Lucili ap. Non. 268 "quid dicis? cur est factum, quod cōicis istuc?" cur praepositionis uocalem produxerit, non una est ratio; prima specialis, quod i littera in huius stirpis iunctis uocabulis "gemina esse debet", qua re Sulpicius Apollinaris teste Gellio IV. 17. 12 eam in ōbicibus paulo uberius largiusque pronuntiabat; altera generalis quod i consonans et media pronuntiando geminatur; tertia quod uocalis praecedens — quod commemorat Schneider Gramm. I. 1. 279 — subsequente i̯ consonanti medii uocabuli numquam non producitur.

Deinceps hoc disputandum: a cŏguemis cŏuemis, non cōuemis. Paucis exemplis rem non obscuram licet absoluere. A *flogv-, cf. gr. φλεβ- (Ioh. Schmidt ap. Bersù de guttur. p. 7), flŏu- ut, comflŏu̯ont flŏu̯io C. I. L. I. 199, flŭuius, itemque flŭu̯idus fluidus Ribb. prol. in Verg. p. 438; *eroguom *erŏuom, post erŭom, denique erŭom Havet M S L VI p. 21; * vogv- vŏv-eo, cf. scri vāgh-át gr. εὔχομαι Pott Wwb. 885 sq. Vanicek lex. lat.[2] p. 262; *no(g)uidus *nŏvidus nūdus (*nŏvidus: nūdus = prŏvidens: prūdens); *sniguis nĭuis. At māuolunt māuelim huius generis non est; ex quo duae consonae sunt detritae, si prior pars fuit mag-s, quocum confero op-s ap-s noc(t)-s oul-s, primoque *magsuolo, tum māuolo, ut *acsla, āla *tacslus talus *loucsna lūna, aut si primo fuit mahĕsuolo, cf. osc. mais = ma(h)is TB, *māhuolo, detrito ex eo spiritu gutturali factum est mālo, ut *măhior *māh̯ior maior, de quo disputat Ascoli Kuhn. Ann. XVII 274 sqq. (cf. *ăh̯io āh̯io aio: ad-ăg-ium prod-ĭg-ium). Hoc autem tum etiam cum nondum g ex media uoce elisa erat uocalem proecedentem produxit: *eugueio *ougu̯eo ūu̯eo (lat. °eugueio: isl. vökvi = gr. εἴχ-: u̯o(g)eo).

Sequitur ut demonstrem a cŏuemis cŏemis dictum, non cōemis. Quod nullo negotio efficitur conferendo uocabula similia similiter mutata: clŏuaca clŏaca et clŭaca Georg.[7] s. u. Clŏuatio inscr. ap. Kruczkiewicz Ann. G. Austr. XXX 3 Clŭuatius inscr. ap. Bugge Stud. Ital. p. 13 Clŭatius Cic. ad Att XII. 18. 1; 36. 2 Wes. et Clŏatius Gell. XVI. 12. 1 et 6 Hertz; bŏuum bŏum, sŏuos sŭuos suus, flŏuont fluont aliaque eiusdem generis quae supra dixi, Iŭventius Catull. Iuentia Gar. 1222, auonculus ap. Plautum cum ita legitur ut primae syllabae in unam coeant, uidetur sic pronuntiandum aonculus; item sine ullo quantitatis discrimine dicuntur simpuuium et sumpuis

act. Aru., Pacŏuius Pacŭuius Pacŭius, Vitrŏuius Vitrŭuius Vitrŭius; itemque Osci etiuvam 63. 1 Zv. I. O., eituam T. B. 19; similiter Umbri scripturam uariarunt: tuva tua Iuve bue; neque enim dubium est quin scripturae, non uocis varietas est, si una V scribitur pro duabus; quod maxime apparet si in uno titulo est haec uarietas, ut CIL. I 199 flŏuio flŭuio flŭio. Sin praecedit aut sequitur O, si V consonans est omissa scriptura, potius dubitandum, utrum ad uocis discrimen pertineat necne, ut noicia CIL. I. 819, noum Horatius C. I. 31. 2 Keller, Noembres CIL. I 831; 884; 909; 924 Nuem(bres) I. 884. Certe in his quidem uocabulis quae nominaui ad quantitatem syllabae omissa semiuocalis nihil pertinet.

Postremo quod statui, a cŏĕmi- esse cōmi-, id conuenire cum more sermonis, non opus est argumentis exemplisque demonstrare, praesertim cum de hac re accurate disputauerit Lachmann comment. Lucr. p. 134 sq. At, si credimus Iordan et Osthoff et Pauli, cōmis dictum est a cosmi, quod est in titulo "Dueni". Quod si uerum est, quod posse uerum esse non negauerim, nimirum in carmine Saliari scribi oportet h. l.: cosmis es Ianeus. Sed nemo adhuc eorum qui 'cosmis' pro 'comis' in tit. Dueni positum esse dicunt, ea interpretatione sententiam probabilem fecit. Dura est enim aposiopesis, quam durior etiam excipit ellipsis ap. Pauli altit. Stud. I 46; "ne te intro (sc. mittat) — comis uirgo sit (sc. cui te mittat)"; illud uero ridiculum atque absurdum quod placet Iordano Vind. serm. Regim. 1882, comem ac benignam puellam a sacris procul esse iuberi, at, credo, tristi atque asperae sacris imteresse licuit. In omnes autem mulieres, et comes et asperas, cadit quod iubet Festi locus p. 82 "hostis uinctus mulier uirgo exesto". Ac ne comitate quidem uiri, quam intellegit Osthoff M. Rh. XXXVI 486 ad grauitatem sacrorum illorum opus fuisse arbitror; accedit quod originatio Osthoffi dicentis co-smem dictum quasi con-sim-ilem non satis cum significatione illius cōmis conuenit. Credo locum illum sic esse interpretandum: neited endo cŏsmis uir cosied asted: nitatur (sic Osthoff) i. e. curet, intus cŏmes uir una sit adstet. Sed utut ea res se habet, ueri simile mihi uidetur couemem vel cōmem, uoce et significatione coniunctum cum uerbo conueniendo, translate dictum primo quasi conuenientem, ut nostri dicunt tillmötesgående, germani entgegenkommend. Ea principalis significatio hoc loco carminis Saliaris exstat, nam uerba illa "couemis es ianeus, Ianēs" hoc significent: "benigno numine ades (imperatiuo modo) Iane Patulci!" Similiter Ennius ap. Cic. pro Balbo 16. 36 "qui erranti comiter monstrat uiam". Comem quasi commodum primo dictum putat Pott Wwb. II. 1. 152; inde comis dicitur etiam iucundus et hospitalis, quod minime a conueniendi uerbo discrepat, quo quidem Catullus sic usus est 57. 1 sq. "pulcre conuenit improbis cinaedis, Mamurrae pathicoque Caesarique. — — morbosi pariter, gemelli, utrique uno in lectulo, erudituli ambo" (nam sic interpungo). Quod autem est in codice Parisino 7690. 175 Hildebr. — nam hunc codicem H. edidit, non 7651, u. Loewe Prodr. p. 88 — "comis, particeps uel conueniens" id mihi suspectum est, et, credo, legendum sic: "comes, p. u. c.". Praeterea in hoc tam antiquo carmine co(gu)emis aliquid de principali conueniendi significatione forsitan retinuerit. Nam sol cum omnia radiis intret, ab omnibus conspiciatur ut a nullo sit auersus, oriensque quasi omnibus uenire obuiam uideatur, non absurde ab illis qui tum erant hominibus dici potuit has terras humanosque coetus conuenire. Persius quidem in I Sat. 55 Ianum Geminum ostendit a nullo esse auersum. Et Tertullianus

conueniendi uerbo de Iano utitur Apolog. p. 436 M.: "Nolo mihi Iouem propitium; tu, quisquis es, me conuenias, Ianes, iratus ex qua uelis fronte; quid mihi tecum est? (sic lego: 'quis est — conueniat Ianus — uelit' libri; Ianes, cf. Tert. Apol. p. 330 M.).

V. 2. Ianēs i. e. Ianeis a stispe Ianei Iani. Tres igitur sunt huius nominis stirpes: Iano- et Ianei, -i et Ianu-, cuius dat. Ianui Fest. p. 189; gen. Ianūs (uicus) Porphyr. ad Hor. Ep. I. 20. 1.; Ianū abl. inscr. 2032 Wilm.; ab hac stirpe ianu-a ianu-alis ianuarius; a stirpe Ianei- ianeus pro *ianeios.

V, 3. Cērus; nam metrum postulat paenultimam produci; paululum igitur a uero aberrauit Corssen I² 230, quod dicit Cerum non modo cognatione cum Cerere esse coniunctum, sed etiam eiusdem stirpis. Cērus pro Cerro, ut par est in tam antiquo carmine, nondum geminatis consonatibus. Cerrus pro Cerso umbr. Cerfe Serfe Serfer pael. Cerfum; cognata praeter Cererem latinam osc. Keri Kerri pael. Cerri et Osc. kerríiaí kerríiiíí. Cerri Cerfos dicebantur genii quidam. Keri pocolo CIL. I. 44 est Genii poculum, cf. Mommseni adn. ad h. l. Haec ab aliis inuenta breuiter commemoro. V. Mommsen Unt. Dial. 133; Buecheler Ann. Fl. 1875 338, M. Rh. 1882 644, Umbr. 98; Bréal de tab. Iguu. 159 sq., MSL IV 142; Bugge Stud. Ital. 47, 51. — Corssen I²473. Pott Stud. Etym.² II. 1. 842 sqq; Curt. et.⁵ 154 sq.; Paulus F. p. 122. Cerus Ianus h. l. idem dicitur qui Ianus Consiuius.

V. 4. Veueis. Illa a me p. 2 nominata ueixsit ueiuont pro uīuont (uel uēuont) scripta esse simplicique uocali, non dipthongo, media dicta, declarant pael. biam, osc. bivus, umbr. bio cisterno, uiua cisterna, et eius stirpis bīv- formae cognatarum linguarum, quae ab Osthoffio Morph. U. IV 166 enumerantur; Idem l. c. IV, 72, 97 demonstrat ipsam radicem has formas induere g²ei et g²ī; auctas esse has: g²īv g²ĭv; in eand. sent. disp. Ascoli Stud. Crit. 305 et Hübschmann Vokalsystem p. 37. ('gvigv'- Ioh. Schmidt. Voc. II. 286). Veueis igitur scriptura uaria est pro uiueis, ut ueiuont pro uiuont. Et VI. Saeculo simul atque ei non iam diphthongus fuit, sed nota soni simplicis ac medii inter e et i litteras, hic mos uidetur esse natus, ut per et E et EI scriberentur non modo eae syllabae quae enuntiatae erant per diphthongum ei, sed etiam eae quae per ī; sed perpaucae sane E pro principali ī habent. Pro ī ab ie orto positum est E in hoc VELET S. C. de Bac. a. u. c. DLXVIII, quo nullum eius rei exemplum uidi antiquius; nam in FVET DEDET in elog. Scip. Barb. fil. circiter annum DXX (Ritschl Op. III 226) E extremae uocis fortasse scriptum est pro EI, quod, nondum diphthongo ei ab ai in ī mutata, tertia persona primae antiquitus adsimulari potuerat. Et in S. C. de Bac. 'compromesisse' distinguendum est ab eo quod quaerimus, nam est pro 'compromĕssisse' i. e. 'compromīssisse', de mĭtt- u. v. Groeber WA III 118 (aliter Marx enchir.); similiter mĭss-; quod producta uocali proferri non potuit nisi productione suppletoria, quam dicunt, mīss- mīs-; cuius exempla non sunt antiquiora VIImo saeculo: 'ameisseruut' 'remeisserit', ex mĭss- et mīs- contaminata; item diuersi generis est 'adiese adiesent' in S. C. de B. pro 'adīīsse adīīssent', quod uidit Ioh. Schmidt Vocal. II 345; has enim terminationes ĭ uocalem corripere Marx enchir. p. 7 iure conicit comparando dedĭsse Plaut. Amph. 761 et alia eiusd. gen. et amāssem ab amâvĭssem, similiter dicitur -ĭsti (aliter Corssen I 608, sed cf. Iordan Beitr. p. 27). Pro ī autem longa in hoc monumento non modo E littera scripta est, sed etiam EI: VOBEIS. In Scip. flam. elog. circiter a DC TIBE, non multo

posterius MIHE CIL I 1048, et per EI TIBEI tab. Mumm. a. DCVIII. Corssen I 782 confert umbr. pufe, sed ī nouissimam uerbi in hoc tam ambiguo et medio sono mansisse auctores sunt Quintilianus I 4. 11 et Velius Longus 49. 16 K. et Consentius 480 K; cum de aliis tum de uerbis Veli agit Seelmann de uoce latina p. 199 sq. — PAPERIVS CIL I 554 a. DCXX$^{IV}_{V}$ — qui titulus habet etiam III VIRE — et leg. agr. DCXLIII § 89. E pro ī ex ie nata scribitur etiam Caton. de agric. 141. 2. cod. b sēris pro sīris ex 'sieris'. Ex eodem genere est VERRE[s] Gar. 2264 pro Verries quod est a Verrios; illa forma 'Verres' obtinuit usu. Faliscum est LEVIEI S29 b Schneid.; Praenestinum VEBIDIA C. I. L. I. 156; et priscam aetatem amasse V litterae E pro I subdere ostendit Ritschl Op. II 78 sqq. Cftur Velius Longus p. 75. 19 sq. K. et Brambach Zur Neug. d. lat. Orth. p. 124 sq.

Si qua alia forte in hoc numero esse referenda uidentur, tamen ex alio genere sunt. Nēsi in lege Spoletina, non nēsi, cf. Pauli Stud. I 18 sq.; et nē nei nī, de quibus Ritschl diss. Op. II 622 sq., hoc ordine, quam dixi, aliud ex alio deinceps facta sunt; nē enim principalis forma; similiter E et I coniunctae uice E litterae productae interdum VI saeculo functae sunt in his: PLEIB. Eph. ep. 1. 1 n. 3, DECREIVIT 96 Schneid. Gar. 876 a DLXL, cf. Iord. Btr. p. 27 sqq. Illa uero praetermitto, ut ab eo quod quaerimus diuersa, in quibus est ē pro ei principali, ut amēci Paul. Fest. p. 15, de quo uocabulo cf. Corssen. II 251; dēuas Corniscas CIL VI 96 Saes. VI. utrum pro deiuais an diuais scriptum sit, est ambiguum; hēc tit. Sc. Barb. fil. est pro heic, ut fal. hē.

Sermo rusticus ē pro ī dicere solebat etiam Ciceronis et Varronis aetate; de qua re Varro RR I 214 et Cicero de Or. III 11. 42 et Velius Longus p. 49. 20. K. commemorant. Nam fuit Ciceronis aetate alterum genus eorum qui urbanam suauitatem leni appellatione litterarum secuti et graecorum exilitatem, ut ait Cicero, imitati, crassiora et pinguiora, ut subrustica, uitabant, cuius exemplum Cicero Catulum proponit Brut. § 259 et de Or. l. c., alterum qui dilatandis litteris sonoque uocis agresti antiquitatem Romanam imitabantur, cuius rei exemplum fuit L. Cotta Brut. § 137 et ll. cc. Praeter hanc rusticitatem nulla huius rei exempla inueni priore parte saec. VII posteriora, nisi haec: lēra et delērus — si modo horum ē media est a principali ī, in cognatis enim linguis exstant et līsa et leisa — quod aetate Varronis nondum obsoleuerat; grammaticorum de 'lēra' et 'delēro' testimonia in unum locum contulit Seelmann l. c. p. 191 et Brambach Zur Neugest. p. 43. Perraro igitur inde a medio saeculo VII, si a rusticis quibusdam uocabulis discesseris, E pro ī scriptum est; et magis magisque usu uenit ut EI uice ī uocis productae fungeretur non modo si ab ei diphthongo nata erat, sed etiam pro ī principali. Itaque in miliario Popilliano a. DCXXII est POSEIVEI pro POSIVEI scriptum — cuius uocabuli originem Osthoff M. U. IV 133. 143 G. d. Perf. 612 a sī- (Froehde autem BB I 197 a kshi-) ducit —; praeterea exempla u. ap. Corssenum I 719 sq. Lucilius cum promiscuam eam scripturam ita discerneret, ut pinguius EI scriberet, exilius I, tamen ei pro ī principali in meilite et meilitia, si modo ueriloquium uerum, spreto uetere, dedit Bartholomae Kuhn. Ann. XXVII 337 *mizdes mīles; peilum dubium; cetera huius generis Luciliana EI retinent antiquae uocis tradita memoria. Verum tamen non modo principum dominatu, quod ex eo quod Scaurus 19. 10 K dicit conicio, discrimen illud Lucilianum urbana quidem uoce non iam est fac-

tum, sed ne Varronis quidem aetate, quod ex eo apparet quod Varro Lucilii de nominatiuo plurali praeceptum re retinuit, uerbis repudians rationem improbauit; eadem Nigidii, hominis Varroni aequalis, scripturae artificia commemorat Gellius XIII. 26. 4.

Aliter hǫc fuit temporibus VI Saeculum praecedentibus. De quibus uerius Corssen I 719 sqq. iudicauit quam Ritschl Op. II. 626 ann. et 228 et Garuccius Syllog. p. 25. Quod enim prisci illi E pro I posuisse dicuntur, id breuium uocalium permutatione uel ĕ pro ĭ posita et ē producta ei diphthongi uice fungente definiendum est. Quamobrem cadit in antiquissimum sermonem, quod perperam de uniuersa latinitate iudicat Terentianus Maurus v. 438 sqq. K, ei pro i longa non scribi nisi ante principali in corpore E subesse ratio monstret atque origo nominis. Neque enim, id quod dixi, ullum exemplum saeculo VI antiquius inueni quin scriptura retineret I principale si produceretur. FECED in tit "Dueni" legitima seu "phonetica" forma est, quae scripta est per I X 8054, 2 L. Canoleios L. f. FECIT Calenos et Gar. 522 Nouios Plautios med Rǫmai FECID. Ex his igitur colligo ueueis in Carm. Sal. non esse principalem formam, quae fortasse uiuois fuit, quod dixi p. 2; ut haec in titulis V aut VI saec. uocabula scriptura sunt antiquiore: LIVIA CIL I 177; VICTORIA Gar. 535 et 527, producta enim etiam hoc nomen dictum esse i priore, ne quis uerba Gellii IX. 6 ita interpretetur, ut eam corripi putet, forma in titulis post VII saeculum usitata vIcTORIA indicat, et fortasse italiana vittore vittoria, nisi lectione et doctrina adscita sunt. Sed quoniam demonstratum est ueueis cum more VI quidem saeculi congruere, hanc forman, ubi ad eam tenui codicis Florentini uestigio ductus sum, non repudiaui; quod cur ita egissem rationem reddidi p. 22*). Qua autem inconstantia ueueis eandem uocem ultimae per ei, paenultimae per ē reddit, eadem est LEVIEIS Fal. 29. 6 Schn.; et simili DECREIVIT 96 Schn.

V. 4. Promerios. Per -io figuram a thematis praesentis uerbalibus adiectiua deriuata sunt uel passiua uel actiua potestate, quod breuiter commem. Paucker Woerterbild. ed. Roensch p. 29. Promerios actiue, ut fluuius pluuius socius industrius propitius (cf. suppet-ere) satagius ludius furia luscinius. Birt Roscheri lex. 1614 genium dictum dicit qui gigneret, et actiue Fortunam Primigeniam; aliter Plutarchus Quaest. Rom. CVI. Quemadmodum igitur socius est qui sequitur, satagius qui satagit, ita promerius qui promeretur, siue promeritus. Absolute autem et significanter promerius hoc loco dicitur quasi de nobis bene promeritus, ut non numquam promerendi uerbum pro bene promerendo. Promelios, quod ex coniectura scribit Baehrens, monstrum est uocabuli, neque enim ullum exemplum est praepositionis comparatiuo ad augendam potestatem praeiectae; diuersa sunt ea quae praepositionem positiui retinent, insignior ab insigni, praeclarior a praeclaro. Grotefend quod scribit melios eum regum, Bergk et Wordsworth: po meliosem recum, Baehrens: promelios deuom recum, ea constructione utuntur cuius nullum praeter unum Vitruui certum sit exemplum ante Apuleiana quinque et unum Tertulliani, denique rara ap. Ammianum Symmachum Sidonium; u. Kuehner Gramm. II 312 ann. 1 Draeger Synt.[2] I p. 494. Quodsi Ianus rex et deus est, idem qui potest dici melior regibus aut melior dis, quasi sit ex alio genere et non ipse rex, ipse deus? Nec uero est probabile quod Iordan legens: promelios es recum, sic interpretatur: 'optimus es regum'. Quid ergo? licet sic promiscue superlatiui uicem comparatiuo mandare?

V. 4. Veueis, promerios, prome diūs enum reconde. Proinde dixit Horatius ac si hunc locum imitaretur C. Saec. 9 Alme Sol curru nitido diem qui promis et celas.

Diūs acc. pl. m. = dies, st. dĭu-, scr. dyu-, in libris uedicis masculini generis Grassmann lex. s. u.; scr. diuás, quod Bopp, Corssen aliique cum hoc latino uocabulo comparant, est libris uedicis posterius et latine esset *dĭues aut *dĭuos. Ut dies ita dius significat tum diurnum spatium tum temporis non certi. Nominatiuo casu dius: *num dius 'nun dius sextus' Plauti Trin. u. 727 C, 'nundius sextus' ib. BD (Loewe), post 'nudius' –; cf. Paul. Festi p. 171 Charisius 81. 28 K; 207. 20; postremo sermonis uulgaris licentia etiam 'nudus' Loewe N. Ann. 1875, 536. Gen. deous carm Sal. fr. II a – dious, u. p. 5 sqq.; diūs aduerbialiter Plautus Merc. 862 Ritschl et Goetz, haud usquam noctu neque dius, Titin. ap. Char. 207. 18 noctu diusque; cf. Buecheler M. Rh. XV 440 Ann. Phil. 1867 p. 68. Plauti Rudens prol. 6 sq. Noctú sum in caelo clárus atque intér deos, Intér mortalis ámbulo in terrá dius (sic egregia coniectura legit Fr. Schoell: 'inter dius' codd.). Tales genitiui temporis, quos potius cum Cauallino Synt. § 19. II. e. partitiuos esse dixerim quam cum Sieck et Huebschmann zur Casuslehre p. 279 possessiuos, uel similes uel communes quidam Ariis cum Europaeis fuerunt; haec uox cum locatiuo coniuncta etiam in lingua scr. genetiuo casu dicitur aduerbialiter purvē dyus Pott. W.wb II 1034. Cum praepositione gen. casu inter dius, interdius (Buecheler de declin. ed. W. p. 63 Bergk Btr. p. 80; aliter Bopp. Gr. II³ 148 et Corssen II 458; Corsseni sententiam Iordan, de alia uoce agens confirmare studet Btr. 271 sq.); perdius, unum uerbum factum e duobus, ut pernox; quae quoniam coniuncte dicuntur perdius atque pernox Gell. II. 1. 2, ambo genitiuo casu esse existimandum est; nox enim, ut graeca πύξ λάξ, latine fors a *forts – at osce fortis –, dicitur fortasse non longiori stirpi nocti-, sed breviori noct-, cf. νυκτ-ός, addita genitiui-ablatiuique terminatione -s; de qua exp. Brugman A. Soc. Saxon. Sci. 1883. 189; Gr. G. § 79 G. Meyer Gr. Gr.² p. 294 Fr. Stolz Stud. Vind. IX 207. Locatiuus sine suffixo casuali *diou diū, ut Umbri manuue kastruue pro *manou en *kastrou en, in manu in fundo; a Latinis cum ablatiuo et cum datiuo – ad quod pertinet id quod de Caesare tradidit Gellius IV. 16 – confusa et permixta est haec locatiui figura; sed locatiui significatio satis apparet cum dicimus aduentu discessu, reditu alicuius. Similiter ac Romani ortu Aurorae, Indi dicebant: Usáso vyùṣṭāu Whitney Gr. Sanscr. § 302. Sequitur ut spernenda sit coniectura ea Ritschelii, quod N. Plautin. Exc. p. 85 hoc proponit Plauti Poen. 1199 "quae rés iam diu*d* edepól tvam sapientiam haec quidem abusast"; fortasse legendum est: "Quae res iam dius edepol" –, nec opus esse uidetur, quod fecerunt nouissimi editores, uerba transponere; nam dius aeque ac diu aduerbialiter poni potest; sic dius pro diu ap. Consentium 391. 34 sqq. K "(barbarismus) per adiectionem litterae: — coperit pro operit — cottidie pro cotidie quandius pro quandiu", et quandius in tit. scriptum affert Neue II² 675. Diu pro die positi exempla dat Nonius 98. 19; diu pro tempore Manilius in IV Astron. 823 "Mutantur sed cuncta diu uariantque per annos", et CIL I 1431 "cum diu ambulareis tamen huc ueniundumst tibi", et Plaut. Cas. 584 "Quin etiam diu morabor"; item compositum aliquamdiu; diu pro longo tempore est frequentissimum. — Interdiu, ut intereā; eam formam imitando sermo fecit perdiu. — Dium acc. sing. uidetur exstare

C. I. L. I 857 *Σέξτος Κλωδιος | Δεκομου λιβερτινος | αντι διον τερτιον ϝωναις . . . . ε . . .*, ubi *διον* nisi errore fabrili natum est, uidetur esse scriptum pro eo quod est dium, ut *Δεκομου* pro Decumi. — Nescio an superuacaneum uideatur commemorare díũtius Plaut. Prin. 685 — "ita semper omnes poetae" L. Mueller ad Phaedrum p. 118 — ab eodem fonte, sed per suum riuulum esse ductum.

Ad u. 4. — Enom pro 'et' in tit. quoque "Dueni" — quod primi uiderunt Dressel et Buecheler — exstat; sed ego paullo aliter, collata imagine lithographica quae a Pauli Stud. It. I. data est, sic lego: Duenos med feced en manom, einom dueno in*em* med mano statod, quod ita interpretor: "Bonus me fecit in bonum, et bonum enim me bono sistito". 'Ine(m)' antiqua scriptione est enim confirmandi particula, ut: id enim ferendum esse negat et nihil enim aliaque; einom – inem nullam habet offensionem quod posteriores quoque Romani dicebant et enim. Quominus 'ne' particulam negandi hic agnoscam in causa est ordo uerborum, de qua re disseruit Buecheler Umbr. p. 171. — Umbrorum et Oscor. lingua, id quod satis constat, enem eine ínim *ειναμ*, quod latine affirmat aut causam adnectit, copulae officio fungitur; enom ap. Umbros significat tum.

[Quod Ianum Solem interpretatus sum, de ea re accuratius disseram eo excursu quem primum his commentariis adiciam].

Ad. fr. II. a. uersuum Iouiorum.

V. 1. Diuom, Diouem — deiuom deous. Tribus igitur nominibus non praeter consuetudinem antiquorum numina quae uenerabantur suis nominibus complectendi duobus deinceps uersiculis Salii suum Iouem dicebant; et quidem statim initio Diuom Diouem, i. e. Caelum Iouem, dignitatis praeconio ita geminabant, ut Ianus Quirinus Iuno Lucina Diana Lucina *Φοῖβος Ἀπόλλων Πάλλας Ἀθήνη* gemino nomine dicebantur. Diuersi generis est cognomen attributi loco additum, ut Iuppiter Lapis, I. Fulgur, I. Terminus, I. Iuuentus. Nec uero dubium est quin in iis Iouiis qui interierunt uersibus plura fuerint Iouis nomina.

Diuom caelum, abl. sub Diuo i. e. sub Ioue Hor. C. I. 1. 25; Stat. Theb. II. 404; Ou. Fast. III 26 (sub Ioue pars durat, pauci tentoria ponunt); hic in accusatiuum declinatum. Si Varroni credimus, nominatiuo singulari dictum diuom. Varro L. L. V. § 166 "Hoc idem magis ostendit antiquius Iouis nomen; nam olim Diouis et Diespiter dictus, id est Dies pater a quo Dei dicti qui inde, et Dies (?) et Diuum, unde sub Diuo, Dius Fidius. Itaque inde eius perforatum tectum ut ea videatur Diuum, id est caelum". Sed tamen uel illud, quod apud Paulum Festi p. 71 Verrius Flaccus, et eo auctore Pseudo-Asconius ad Cic. Verr. I. 51 nominat, dium uel hoc diuum quis affirmet esse uoces ueras et non a grammaticis fictas? Quamobrem quoniam ita sub Diuo dicitur ut sub Ioue, Diuo illud puto esse a recto Diuos, praesertim cum neutrum genus a nominibus deorum alienum fuisse videatur. Itaque Caelus, de quo Neue I²416 et Georges⁷ s. u., non caelum, dei nomen est apud Ennium et Ciceronem et Seruium. Accedit quod Diuus pater, quasi pater caelestis — cf. epir. *Δειπάτρος* Hes. (de quo

vocab. disp. Preller Myth.[3] I. 55 annot) — idem uidetur fuisse antiquissimorum Romanorum religionibus qui Iuppiter. Cuius rei exempla, sed non omnia certa, nominat Preller Myth.[3] I. 56. II. 213 [5]); 141.; idemque acute conicit ex uerbis Varronis ap. Augustiuum C. D VII. 3. p. 277 Domb. et Tert. ad Nat. I 10; qui loci non dubium est quin ad nomina quaedam indigitamentorum pertineant; cf. Iordan ad Preller Myth.[3] I. 197 [1]). Ac nescio an ipse Diuus pater Falacer ap. Varronem L. L. V. 84. VII 85 — cuius nominis ueriloquium temptauit Buecheler Umbr. p. 156 — in numero trecentorum illorum Iouis geniorum sit referendus, qui fluuii deus, quod dubitanter posuit Iordan ann. ad Preller M.[3] II 143, fuisse non potest; quod si fuisset, Falacer esset nomen fluuii, qui nullus est. Ut Dĭuus Pater, ita Iuppiter appellabatur addito suo cuiusque genii Iouialis cognomine; uelut ap. Aug. C. D. VII. 11 Iuppiter Ruminus, qui ab Umbris alio nomine datiuo casu dictus est Aðmune Iuue patre i. e. Diuo Patri Alimoni. Et in tab. Iguuina VI. Diuos Grabouius idem est ac Iuppiter Grabouius; ibi enim scriptum est et Iuve Grabovei buf treif fetu et Di Grabovie uocatiuo casu multis locis, quod scribitur etiam Dei Grabovie. Et haec hactenus de Diuo, Iouis nomine.

Eundem Iouem cum diurni caeli splendore cernere uiderentur Romani, facile est ad intellegendum cur Deiuom deous i. e. deum diei hoc in carmine dixerint. Nam latinum Iouem aeque ac graecum et diem siue lucem diurnam et caelum suo numine complexum esse et linguarum et fabularum inuestigatores consentiunt. Romanis uero ipsis Diespiter quasi diei pater dici uidebatur, sic Varro l. q. d.; Gellius I. 12. 5 "Iouis Diespiter appellatus, id est diei et lucis pater"; Suetonius de anno romano ap. Macrob. I. 15. 14 "cum Iouem accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in carminibus canunt et Cretenses *Δία τὴν ἡμέραν* uocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant ut diei patrem". Augustinus Ciu. Dei IV. 23 p. 175 D. "Sicut enim apud ipsos legitur, Romani ueteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iouem ad quem diurna fulmina pertinerent". Paulus Festi p. 75 "Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iouis, ut nocturnum Summani". Idem p. 71 "Dies dictus quod diuini sit operis siue ab Ioue eius, ut putabant, rectore, qui graece *Δία* appellatur; siue quod aer diurnus dehiscat in candorem".

Praeter uocatiuum et nominatiuum Iuppiter et gen. Iouis et sic deinceps, haec quoque Iouis fuerunt nomina latina. Nominatiuus *Dīūs (primo*Di̯eus, ab altera autem forma Di̯eus graec. *Ζείς*, latine gen. Iouis idemque pro nominatiuo), gen. Dio̯u̯o(s) Hermae uol. 1884 a. p. 453, Diouis (qui etiam nominatiui uice functus est). Eae formae praeiecta 'ue-' particula faciunt Vedĭus Mart. Cap. II. p. 141 Eyss.; gen. et idem pro nominatiuo Vediouis Deecke Etr. Forsch. IV 69; locatiuus exstat in hoc: sub Dĭu (media uocali per *συνεκδρομήν* producta); item a recto Dĭus dictus est flamen Dĭalis. Producta autem ī est nominatiuus *Dīos Dīus, gen. Dī (Dii): cuius abl. Dīo exstat in hoc sub Dīo. Id nomen Romani usurpabant cum iurarent per Iouis genium, quem nominabant Dīum Fĭdĭum Plaut. Asin. 23, gen. Dī Fidi Varro L. L. V. 52 (nam cod. Cassin. coll. a Wilmanns ap. Iordan Topogr. II 5 sqq et a Keil ap. Hauet MSL IV 236 hoc habet 'di [del] fidi'), dat. Dio Fidio CIL. VI 567, 568. Denique nomin. Dīuos, de quo Iouis nomine mentionem fecimus, quod discernendum est a deiuo deo et dīuis dīs. Deriuata adiectiua dialis et diualis cum proprie

ea significarent quae uel ad Iouem uel ad diem et lucem pertinerent, tamen a glossariorum scriptoribus cum eo quod est 'diuinus' confusa sunt. Mai VIII p. 181 "diualis dius diuinus", Amplon. 249 n. 86 "diuale, diua diuino". Propius ad ueritatem accedere uidentur haec. Gloss. "Isidori" Scaligerian. p. 676 n. 50 "diale diurnum meridionale" (pro quo uidetur esse legendum "meridiale", ut graece ἔνδιον meridiale est) et perturbato ordine in editione Hildebrandiana cod. Par. 7690 . 360 (de quo cf. Loewe Prodr. p. 88) "diurnum, diuale". Hildebrand contulit Macrob. VII. 3. 10; item conferri oportet Paulum Festi p. 75.

[Cur uerba illa Macrobii: "(Janus) in carmine Saliari deorum deus *canitur" in falsa huius loci carminis Saliaris interpretatione posita esse existimem, altero excursu eorum quos his commentariis addam, accuratius exponam.]*

Deiuom deous scripsi, non diuom (diuum) d., propterea quod diua singulariter dicitur pro dea et diui pluraliter a poetis pro dis quasi caelites, non usitate diuos pro deo; nom. diuos singulariter adiectiuum significat caelestem, ut de Ioue, et inter caelites receptum, ut Catullus 64.339 de Baccho, eademque significatione inde a diuo Iulio in imperatorios honores collatum. Sicubi igitur diuus singulariter positum est pro deo: in formula solenni "si diuo si diuae" et Liu. 7. 26; 8. 9; 25. 12, et Septimius Serenus falsa imitatione ap Ter. Maur. 1891 uoc. diue, ibi scriptura falsa et recentiore positum est pro deiuo (deiuos deiue).

Deous = dious, dius, diei nomen, in gen. sg. declinatum, u. p. 28. Hoc loco per synizesin monosyllabum, ut a Plauto usitate dicuntur deo͡ eo͡ diu͡, u. pp. 6 et 35 . — Cum esset in cod. F deo(s), quae forma quibusdam exemplis perantiquis o pro ou uel ū positae, de qua re mentionem feci p. 6., quodammodo probari uideretur, aliquamdiu dubitaui an liceret cod. F scripturam retinere, praesertim cum auctor esset Suetonius Aug. 87 ed. Roth, eoque auctore Marius Victorinus p. 9. 4 K "diuum Augustum genitiuo casu huius domos meae per o, non ut nos per u litteram scripsisse". Sed Suetonii uerborum traditorum fides est controuersa, si Ritschelio credimus Op. IV 169 Oudendorpio teste "in optimis codicibus Suetonii" scriptum esse domuos. Quod utut est, cum lectio esset ambigua, satius esse duxi, in carmine Saliari, tam antiquo monumento latini sermonis, restituere principalem formam dious (deous). Nam hanc genitiui terminationem -ous aeque esse principalem atque illam -uos, declarant linguae cognatae cum aliae tum italicae; osce gen. sg. est catrous, umbr. trifor; de qua re egit Ioh. Schmidt Kuhn. Ann. XXVII 300. Id autem -ous, cum diphthongus -ou-, ut solebat, in simplicem sonum coisset, factum est -ūs. Quam terminationem ex -uis contractam esse nec Ritschelio Op. IV. l. c. nec Buechelero declin. ed. W. p. 61 assentior. Primum quod negandum esse censet Ritschelius l. c. ueterem linguam SENATVS forma ullo certo exemplo usam esse, id refellitur his testimoniis: C. I. L. I. 1166 de SENATV· sententia in titulo Bellieni inter a DC et DCLXIV scripto et CIL I 1149 in titulo Corano . . . . . duomuires de SENATVS sententia aedem faciendam coerauere . eisdemque . probauere; quem titulum non multo posteriorem sexto saeculo esse, duomuires in nominatiuum per -es declinatum satis declarat; et Sullanis quidem temporibus esse anteriorem Ritschelius ipse affirmat Op. IV. 138. Genitiuus in -uis desinens nullus est in titulis liberae reipublicae; genitiui in -I quartae declinationis exstant,

fere eadem aetate qua illi qui in -ūs desinunt scripti: SENATI quinquies I. 547 a; b; 549; 199; 200; priore parte saeculi VII, et LACI I. 584 in tit. inter a. DCLXXII et DCLXXV scripto; sed haec senati laci quoniam heteroclita sunt, ut nihil pertineant ad eas quas quaerimus ueras formas genitiui quartae declinationis, nulla eorum ratio potest haberi. —VOS uerò antiquius, quod exstat ter scriptum in S. C. de Bac. SENATVOS et faliscum ZENATVO 17. 3 Schneider. Verum tamen his duobus exemplis non modo non efficitur ueteres numquam IVtae declinationis genitiuum per —OVS fecisse; sed etiam, cum inde ab omni tempore in libris latinis, si a paucis iisque incertis discesscris, genitiui huius declinationis in —ūs cadant, non dubium est quin etiam antiquitus —ūs uel potius —ous usitatior fuerit quarta declinatione genitiui terminatio. Et in titulis antiquissimis casu accidisse putandum est ut nulla huius generis inter tam pauca exempla uetustatem ferrent. Neque enim —ūs genitiui terminatio per contractionem uidetur esse facta. Certe non ex —uus, quae nec antiquitus fuit genitiui terminatio nec contrahitur nisi interdum semone uulgari; plerumque geminatio litterae V retenta est ea quidem uoce quae litteras exprimeret: mortuus irriguus uacuus. Ac ne ex -ŭis quidem, neque enim contrahuntur luis ruis fluis minuis, Illud enim —ŭis inde a principio debuit esse ŭ correpto, siue factum est ex —eŭos —ouos —uos — cf. de *neuo de *nouo denŭo, *seuos souos sŭos et huius libri p. 23 sq. siue ex —ŭos principali terminatione; cf. gr. *ἰχθύος ὀφρύος*; nam *ὀρῡός* Hos *ἰλῦος Φ* 318 sunt secundaria et nominatiui formam themate imitantur, quod uere docet G. Meyer Gr. Gr. ² § 341. Siue denique —ŭis per *συνεκδρομήν* natum est, gen. —ŭis ita est ad dat. —ŭi, ut gen. gruis suis Iouis ad dat. grui sui Ioui. Antiqui quidem ipsi putabant —ūs et -ū ac rursus -uis et -ui inter se apta et coniuncta esse, nam Varro et Nigidius teste Gellio IV 16 patrium casum per —uis pariterque datiuum per —ui fecerunt; Caesar in libris analogicis ea quae essent huius generis sine i littera dicenda censuit ad eiusque auctoritatem se applicauit Iulius Romanus ap. Charisium p. 55. 1 K. Quintilianus I. 6. 27 haeret in ambiguo.

V. 1. Pote(m) acc. sing. atributum est et illi Diouem iunctum Nom. sing. potis, inde a Catulli aetate pote, qua cum uerbo 'esse' qua sine eo, similiter ac satis praedicatum esse solet, et iam antiquitus declinari desitum est. Verum tamen fuisse cum declinaretur indicio est nom. plur. potes traditus a Varrone de augurum libris L L. V 58 diui qui potes pro illo quod Samothraees *θεοὶ δυνατοί*. Inter omnes, opinor, constat hoc esse idem uocabulum quod goth. nominat -faþs et paria cognatarum linguarum, quae dominum, maritum, praepositum significant, ut appareat ea primo significasse id quod 'potentem'. Ea uis principalis, si uere coniecturam facio, in carmine Saliari exstat, posteriorum usu et sermone paullulum mutata est et quasi imminuta.

V. 1. Cante metro cogente retinui; nec desunt exempla prisci sermonis etiam in nasalibus litteris huic asperitati indulgentis, Iam Corssen docuit mediam uocalem esse ex his elisam: *monestrum monstrum mostrum, fenestra fenstra festra, *manu-ceps *manucipium *manusuetus *manuluuium, quae facta esse manceps etc. At *breuima *brou͡ima brūma ex alio genere est; postquam enim colliquescens semiuocalis uocali sibi uel cognatae insedit, ea dictio contractionem, non syncopam passa est. Corssenianis exem-

plis sunt quae possint addi, ut *priuigenus 'priuignus', sed non omnia sine aliqua ambiguitate, propterea quod non potest in uniuersum constitui, quae scripturae omissiones ad uocem pertineant. De hoc genere Sittl, die lok. Verschiedenh. d. lat. Spr. p. 22 sqq. copiose, ut solet, disputans, iure iudicat cum multa exempla breuis uocalis omissae scriptione, etiam praenestina, tum omnia fere longae, tamen uoce eas uocales non suppressisse. Quocirca iis qui legent relinquo iudicium ut constituant, ex quibus eorum quae enumeraturus sum mediae uocales praecedente aut sequente nasali littera non modo scriptura omissae, sed etiam appellando elisae esse uideantur. Quod par est, quoniam de antiquissimo carmine quaeritur, non fere descendam ad posteriorem latinitatem. Oinuorsei S. C. de Bac. *unvo(r)se unose Pac. ap. Non. 183. 20 *unuorsum unorsum Lucret. IV. 262, quocum undecim undeoctoginta contulit Lachmannus. Pescnia CIL I. 137 (= Pescen(n)ia?) Licnia 892 Popnia 1062 (= Pupinia), quod dicit Ritschl Op. IV 173 hoc ad similitudinem tuscae uocis ita scriptum esse, id argumentis non satis confirmauit. Gemna 3. I. L. 1. 99 Gar. 640 Lamna Horatius C. II. 2. 2.; quocum contuli Gem. V. Diff. p. 94 umbr. pelmner umne kumne nomner; domnio Laeuius fr. 22 B, cf. domnus sermone uulgari. Si L. Muellero de Q. Enn. p. 225 credimus, Ennius sic scripsit: "Virgnes nam sibi quisque domi Romanus habet sas", quod Vahlen 103 Virginis., auctore Lachmanno ad Lucret. VI 1067, qui Ter. Eun. IV. 3. 12 "uirgnem quam erae mutat in "uirginem erae quam". Oscam uocem, non latinam refert, ut Ofdius I 1287, sic Nums(ius) Gar. 2017; cf. Osc. Ni]umsis Zv. I. O. 57, gen. Niumsís Zv. ibid. Vicesma autem CIL I 187 latinam et priscam uocem scriptura reddere arbitror; cf. illa quae sine syncopa s et m litteras iungunt: 'dusmo in loco' ap. Festum, 'triresmos col. Rostr., 'casmillus Casmena' ap. Varron., 'cosmis' tit. "Dueni"; ergo ex syncopa non cogitur praenestinum, quod suspicatur Ritschl Op. IV 485*), esse hoc uicesma. Sūmo est a *susĕmo *susmo, cuius perfecti principalis forma exstat ap. Liu. Andron. 37 B surĕmit pro susēmit; cf. sus-cipio sus-censeo sustineo. De praenestino illo [N]umtoriai CIL I 122, de quo u. Sittl l. c., et de hoc nummi cuiusdam Arimn[um] i media suppressa uoce, an scriptione omissa sit dubitat Ritschl l. c. 485 sq.; non debuit dubitare de Prosepnais CIL. I 57, si quidem sic legendus est saturnius Naeui ap. Priscian. VI 232. 5 H: "éndocèdit prímà|Cererís puèr Prosérpnà"; malo enim uti lectione cod. L. puer Proserpina, quam reliquorum, ubi est Proserpina puer, ordinem secutus legere: príma incèdit Cérĕrìs | Prosérpinà pûer, quod habet duos barbarismos: primum Cerris disyllabum nullo exemplo, — nisi quisforte putat osca Kerriaí Kerriùí aliquid ad enuntiationem latinam pertinere, aut cerritus, si uere id Corssen II. 539 a Cerere deriuauit, ad Cererem declinandam; — tum pūer producta a Naeuio u littera, quam Liuius corripuerat: Sanctá puèr Satúrnì | filià regínà, ut non dicam hoc Plauti cum synizesi Prisc. VI 231. 22 H dolét hic puellus sése uenum dúcier. Sed redeo ad cetera. Benuentod in nummo perantiquo C. I. L. I. 19, cf. benficium Ter. Eun. 149 et "semper Phaedrus" L. Mueller ed. p. 116 quomŏdo in uersu incomposito Gar. 1646, item saipisŭme Gar. 559; decmus C. I. L. I 821 gr. etiam Δέχμος Dittenberger Hermae u. VI 283, 296; minstratores Naeuius Bell. Pun. fr. 35 B (34 M.), cf. osc. minstreis, sed potest etiam sic recitari mĭnĭstratóres. Haec exemplа tam rara ac dispersa, quae undique ex antiquioris sermonis monumentis conquisiui, tamen confirmant id quod posuimus. Longam autem uocalem in nullo titulo

liberae reipublicae ita omissam inueni ut ea omissio ad appellandi asperitatem et non ad scripturae compendium pertinere uideretur. 'Sins' et 'sers' in c. Aruali corrupta esse iudico, quod alio in libro exponam.

V. 2. Deiuom deous sup(p)licate i. e. deo diei supplicate. Supplicandi uerbum accusatiuum regit in Digestis et ap. Ammianum. Idem Priscianus praecipit l. XVIII p. 276. H. Datiuum inde a Plauti aetate asciuit hoc uerbum; sed etiam prisco more cum accusatiuo coniungi id potuisse exemplum est Incerti uersus ap. Priscian. XVIII p. 316 H. 'elatis manibus Priamus supplicat Achillem'. Similiter haec uerba, quae post datiuum, prisco sermone accusatiuum quoque regebant. Ennius teste Seruio ad Aen. X. 10 'Quis te persuasit' quod imitatus Vergilius dixit: 'hos suasit'. Plautus, qui pro illo 'a uobis peto' Curc. 148 dixit 'vos peto atque obsecro', Idem Bacch. 1143 'te condono'. Id. Amph. 257 'ignoscamus peccatum suom'. Terentius Phorm. 947 'Argentum quod habes condonamus te'. Id. Eun. 977 'quem praestolare'? Lucilius ap. Non p. 326 'tu qui iram indulges nimis'. — Festus p. 309 M. "sub uos placo in precibus fere cum dicitur significat id quod supplico" ('supplicio' cod. Farnes.) et p. 190 "ob uos sacro in quibusdam precationibus est pro uos obsecro, ut sub uos placo pro supplico". Cum nihil sit quod dubites quin uere Verrius hoc dixerit, putandum est primo dictum esse subplaco ab eadem stirpe leuiore, cuius sunt plac-ēre et plac-idus; quod uerbum quidam ducunt a plicando nulla nec ratione nec sententia, nisi forte quis opinatur ad hoc pertinere lacerum illum serpentem ap. Verg. Aem. V 279 nixantem nodis seque in sua membra plicantem! Primo igitur sine dubio fuit in carmine Saliari subplăcate vel potius suplăcate, in codd. quidem Plautinis et Terentianis constanter scribitur suppl. —, non subpl —, quod ostendit Dorsch, Assimilation in d. Comp. p. 15. — Si uere, quod quidem peracute, Bugge Altit. Stud. p. 15 dicit Umbros suboco dixisse pro *sublaco < suplaco < supplaco, eorum sermone hoc uerbum eundem accusatiuum casum asciuit, ut tab. Ig. VI A 22 B 'teio subocau suboco, dei Graboui' latine sit: 'te supplacaui, supplaco, diuom Grabouium' (Sic!).

Ad II b. Iouiorum uersuum.

V. 1. Quome. Cur ita legerem supra p. 6 rationem reddidi. Iordan Btr. p. 118 legit qunne (uel qūne). Uocem ficticiam! Quam ducit a "$\sqrt{ka}$", inde 'quo', a 'quo' 'qun-ne', quod qua uia prouenisse opinetur non liquet. Certe tamne legitur ap. Festum p. 359 M., non *tanne. Umbrorum autem ponne pone pune puni et oscorum pún pon a quomde probabiliter ducunt Bréal tab. Ig. p. 221 et Buecheler Umbr. p. 185; sed latini sermonis antiqui lege -nd- mediae ad -nn- uenire non solent. At enim 'dispenno' 'disteunite' apud Plautum inuenirī dicit Fleckeisen ep. crit. ad Ritschelium p. XII. At mira haec sunt ac singularia. Ac ne qume quidem aut cume in carmine Saliari antiquitus scriptum esse potuit. Nam quod Ritschelius Op. IV 765 negat qu- pro cu- uel quo- ante a. circiter DCXX usitatam fuisse scripturam, id monumentis titulorum satis comprobatur. Aliud est enim quod antiquitus coppa ipsum pro qu po-

situm est, cuius rei unum exstat exemplum qoi tit. "Dueni", de quo u. Buecheler M. Rh. XXXVI 236, aut pro C: 'Luqorcos' 48 Schn., 'Aquti' 176 Schn. Iam uero nec per qum nec per cum scriptam coniunctiónem in titulorum monumentis exstare ante octauum urbis saeculum ostendit Bersù Guttural. p. 43 [1]). Inde a medio octauo saeculo qum et cum usitatiora. Varronem coniunctionem scripsisse per quom, praepositionem per cum coniecit Usener M. Rh. XXIV 103. Quod aeque incertum est atque illud quod coniecit Wilmanns de Varronis l. gr. p. 214 a Varronis doctrina sumpta esse haec uerba Terenti Scauri p. 29 K "per C cum aduerbium erit temporis" et q. s.. Verrium Flaccum coniunctionem per qum (ut legitur Quint. I 7. 4, 'qum' A 'quom' Bn, ubi minus probabili mutatione et Keil et Meister 'quum'), praepositionem per cum scripsisse, acute et probabiliter coniecturam fecit Usener l. c. p. 112 adn. 18. Plura de hac re grammaticorum testimonia conquisita dedit Claussen Quaest. Quint. p. 370 et Brambach Zur Neug. d. lat. Orthogr. 223 sqq.

Quomĕ ultimam corripuisse intellegitur ex forma decurtata quom, nam -ē finalis longa latino sermone corripi potuit, deponi non facile potuit.

Quōm producta esse uocali coniecturam facio ex ratione metrica, quod sic ponitur Plaut. Trin. 342 "Séd ego hoc uerbum quóm illi quoidam díco, praemostró tibi"; nam hiatus post breuem monosyllabam est grauis atque insolitus; sin monosyllaba natura longa positione ante uocalem corripitur, hiatus est nec grauis et legitimus. Ergo quōme ipsum quoque fuit longa paenultima. Idem efficitur hac originatione, ut opinor, probabili. In linguis italicis antiquae declinationis pronominalis hoc exstat exemplum umbr. pusme a *quo-smai datiuo casu — cui: Buecheler Umbr. p. 215; similiter colligitur factum a (t-a-smi aut t-a-sma) *tasme, Bopp. Gr. Comp.[3] II p. 146, tāme Fest. p. 360, tam; *tosmė *tōme (tusme Stolz Gr. lat. p. 216), tum; idg. tésmōd scr. tasmāt palaeoteut. demu; idg. tosmėd goth. þamma Burghauser de declin. nom. p. 19. Similiter idg. locat. k[2]osmí (aut instr k[2]osmá) lat. *quosmĕ quōme quōm. Cf. dusmōd (d addidi metri causa) Liu. Andr. ap. P. Fest. p. 67, dūmo, *prismus pael. prismú 11. 1. Zv., prīmus; -resmos col. rostr., rēmus. -rēmis.

Leucesie. Iure Schweizer-Sidler N. Ann. 123 p. 43 "Namentlich Leucesie dürfte nicht ohne weiteres wegzuräumen sein"; cf. Corssen I. 367 et Fr. Stolz Gr. lat. p. 147. De -eu- agit Iordan Btr. p. 30. Eadem figura est Soresios (fortasse pro *Sorresios Buecheler comm. Momms. p. 229) Praeneste Ga. 525; et Toitesiai tit. "Dueni". Ac ne gentilia quidem nomina ita figurata, de quibus Iordan l. c. p. 104 sqq., ab hoc genere segreganda esse censeo, quippe quae aut adiectiua primo fuisse aut ad formam adiectiuorum antiquitus efficta esse uideantur. Lucetium ap. Macrobium S. I. 15. 14 potius credendum est dici pro antiquiore Leucesio, quam Leucesie pro Lucetie; quia Lucetius, ut pluribus locis tradita, posteris magis cognita est forma. Quod si ita res se habet, Leucetios ap. Mar. Victorinum 12. 18 K. de carmine Saliari sumptum esse non est veri simile. Etiam Th. Birt M. Rh. XXXIV p. 2, qui Leucesie in c. Saliari legit, ostendit ab hoc distinguendas esse gallicas formas Leucetium et Loucetium.

Leucesiĕ. Synizesis in thesi talis, quales hae: carm. Sal. fr. I omnĭa; II a dĕos; Plaut. Trin. 836 otĭo; 839 filĭo 236 omnĭum. Catullus in graeco nomine 64. 336 Pe-

leo͡, cuius generis multa conquisita habet Al. Saalfeld, die Lautges. d. gr. Lehnwörter p. 101 sq. — Hoc genus contractionis frequens esse in extremis colis Saturniis alia commentatione demonstrabo.

V. 2. Tremontĕ scripsi, non tremonti, cum -ĭ brevis et extrema in -ĕ inde ab antiquissimis temporibus mutata sit, ut *marĭ n. sg., mare C. Sal. II b; *manĭ loc sg. Henry gr. comp. p. 226[1]), manĕ; *k²osmĭ loc. sing. (quod magis crediderim quam esse instrumentalem k²osma) quōmĕ. C. Sal. II b. — Tremont scribit Iordan Btr. 222. Sic quoque erit Saturnius uerus: prai téd tremónt quótquot. Sed iniuria et contra ueram rationem Iordan l. c. p. 219 sqq. tremonti damnauit. Valde corrupta sane lectio horum uerborum Scauri libris est tradita, uerum tamen, quod et in Palatino codice et in Bernensi est 'praetexere monti' (p. 28 K) sine dubio potius putandum primo fuisse prae ted tremonte quam prae ted tremont; et in Laeti Scheda Festina (p. 205 M) pretet tremonti manifestam praebet hanc lectionem. Horum testium amborum fidem eo infirmare conatur Iordan quod insimulat -i litteram finalem occulte intextam esse huic loco in Bonnensi codice (nam de Palatino tacet) inscitia librarii, Festi autem uerbis fraude Ursini a. 1581 cum Festum typis mandaret. Atqui nulla re haec tam grauia crimina comprobauit. Diffidendum est librariis et editionibus, nec tamen uerba tradita tollenda aut mutanda, nisi aut per se apparet ea falsa esse, aut grauibus argumentis corruptela conuicta est. Quod ni ita egeris, cognitioni antiquissimae latinitatis, praesertim cuius memoria sit rara atque tenuis, denique omne fundamentum subtrahetur. Ac potius, si qua uox uenerandae uetustatis duorum triumue testium non leuium consensu, quod raro fit, posteritati est prodita, modo ne repugnet indoli ac naturae sermonis, aequi bonique consulere debemus, immo laeto animo accipere. Quid ergo est? Temere Iordan, si demonstrari non potest Italos numquam dixisse tremonti; iure, si potest. Quod tantum abest ut possit demonstrari ut contra Bugge K. Ann. XXII 393 ualde probabilem fecerit coniecturam, cum Italis communis sit -nt 3 p. pl. terminatio, Volsci Osci Paeligni Umbri etiam dixerint -ns, eius uarietatis causam fuisse quod Itali habuissent et -nt et -nti 3 p. pl. terminationes. Similiter Schleicher Comp.[4] p. 668. Idem, sed diuersa ratione, dicunt Bergk Op. I. 522 et eius auctoritatem secuti Bruppacher Osk. Lautlehre p. 74 et Enderis Osk. Formenlehre p. XXVIII. Buggio assensus est G. Meyer Ann. Gy. Austr. XXXI 123, is sic statuit: "dass der Unterschied von primärem -nt und secundärem -ns in der Dialekten doch ohne Zweifel eine noch auf italischem Boden verhandene Verschiedenheit voraussetzt, und dass man darin nicht eine Neubildung der zu -nt unterschiedslos Zusammengefallenen beiden Endungen sehen kann". Nihil hercle proficit Iordan quod dicit p. 221: "wenn auch Bugge dieselbe (die Primärform) auf italischem Boden aus -nti entstehen lässt und sich dafür auf 'tremonti' beruft und nur auf dieses berufen kann, so ist diese Berufung eben hinfällig". Vana enim levisque ("hinfällig") fides huius 'tremonti' ita demum erit, si uana illa a Iordan oblata crimina fraudis et inscitiae erunt comprobata. Nunc autem Iordan per orbem circumagitur, qui ut demonstret 'tremonti' falso scribi, negat talem uocem in latino sermone umquam fuisse, rursus ut demonstret eam numquam fuisse, dicit sic falso scribi.

Sed illa grauiora. Primnm quod restat obscuritas adhuc non discussa illius -ns, quae terminatio unde orta sit, non satis est exploratum. Adde quod certe terminationes secundariae per omnia praesentia latina uidentur serpsisse. Quarum quae ratio fuerit ad primariam -nti et si qua alia eiusdem generis potest indagari, ad liquidum non perductum est. Sed, quoquo modo res se habet, non licet nodum quem soluere ratione non possis, desperatione rumpere, ut id quod a duobus auctoribus antiquis non obscure traditum sit quasi ui ac per calumniam sua sede pellas.

V. 2. Quotquot ubeique sc. sunt. Omissi in enuntiatis relatiuis uerbi esse exempla etiam in priscis poesis latinae monumentis exstant. Plautus in Amphitruone u. 573 Loewe et Goetz resque uti facta dico; u. 575 optas quae facta. Duriorem uero ellipsin habet hoc antiqui precationis carminis de augurum libris a Varrone traditum L. L. V. 58 diui qui potes (sc. estis). Huic generi finitimum quod condicionalis enuntiati copula omissa est in hoc legg. XII tabb. fr. ap. Gell. XVII. 2. 10 Hertz, cf. Bruns F. I. R.[3] p. 16: "Post meridiem praesenti litem addicito. Si ambo praesentes, solis occasus suprema tempestas esto".

Deiueis scripsi uestigia codicum secutus; sed haec forma uix habenda est principalis. Primo fortasse fuit deiuoi (deiuoe) aut deiuos. Sed quoniam ignoro quid fuerit primum, satius esse duxi eo loco consistere quo codicum uestigia duxissent. V. ad p. 22*).

Ad fr. III., uersus Martios.

Pilumnoe poploe non potest nominatiuo casu pluraliter, quod opinatur Neue[2] II. p. 95, dictum esse. Nam ex uerbis Festi (p. 205 M.) et ex ipsa re satis intellegitur unum dici populum, Romanum. Afri senili latini sermonis aetate populos eosdem atque homines dixerunt, quod ostendit Sittl die lok. Verschiedenh. p. 108 sq., cf. Rossberg Woelffl. Arch. V. 151; Martianus 995 heroum populis pro heroum caterua. Tamen si quis ex eo coniciat antiquissimos Romanos hoc pariter dixisse, uereor ne magna temeritate iudicandi atque adeo tarditate ingenii esse uideatur.

Iam uero pilumnoe͡ poploe͡ monosyllaba terminatione -oe͡ cum metro Saturnio non satis conuenit. Neque enim licet sic uersum scandere: 'pilúmnoe͡ *póploe', quod muta cum liquida l aut r in priscis carminibus non faciunt positionem, nec facile pílumnóe͡ poplóe͡ ⏑ ‖ poni potuit, nec ita: pílumnóe͡ poplóe͡ ‖ ⏑ . . ., quae forma, si umquam fuit, quod incertum est, fuit recentior; certe nullum tale colon exstat inter ceteras carminis Saliaris reliquias atque uix inter ceteros, quotquot posteritati proditi sunt, Saturnios; etiam hoc: ⏑ pílumnóe͡ poplóe͡ ‖ ⏑ . . . formae est recentioris ac secundariae, cuius nullum est exemplum inter carm. Sal. reliquias, ut non sit ueri simile hoc colon sic esse feriendum. Atqui eiusdem coli Saturnii haec uerba 'pilumnoe poploe' esse ex "allitteratione" apparet, quod in editione Saturniorum exponam.

Relinquitur ergo ut sic feriamus: pílumnóĕ poplóĕ aut sic: pilúmnŏé poplóĕ. Illius terminationis -ŏĕ disyllabae et breui ultima inueniendi ratio nulla est neque in latina lingua neque in cognatis.

Iam uideamus de altera. Ac primum quaeritur quo casu sit. Nominatiuum pluralem ab hac quaestione ob significationem esse segregandum, dictum est; nec potuit in -ōē cadere. Ac ne genitiui quidem haec terminatio esse potuit. Nam cum constet locatiuum in -i desinentem, qui secunda declinatione genitiui officio fungitur, thematis uocalem, siue o siue e fuit, ea declinatione non producere, ne adsimilatione quidem — quam dicunt hodie uulgo analogiam — huius ordinis nomina genitiuum in -ōī facere potuerunt. Restat igitur datiuus. De quo ita agemus ut themata in -ā et -ē et -o desinentia, quoniam pariliter fere declinantur, coniunctim comparemus. Ea tribus modis in datiuum declinantur. Primum genus est locatiui uice datiui fungentis. El. *αὐτοῖ* G. Meyer Gr. Gr.[2] § 350; hib. tuaith, umbr. pople, popli a *poplei aut *poploi, osc. Abellanúí i. e. Abellanoe, lat. terrai̯ terrae. Num etiam populoi Mar. Victor. 12. 1 et 17. 20 K in hoc genere sit referendum, eo magis incertum est quod nescimus utrum disyllaba sit terminatione, an monosyllaba. Accedit quod hi loci, ut parum integri et perturbati, dubia sunt fide; illa uero 'cameloi' 'caproi' ap. eundem p. 24. 5. K nihil profecto ad rem iudicandam ualent, quod ostendunt Buecheler de declin. ed. W. § 272 et Iordan Btr. p. 241 sqq. Alterum genus, quae uera et indogermanica sunt datiui terminatione. Ea terminatio ubi cum extremis iis quae dixi thematis concreuit, hae natae sunt terminationes secundariae et monosyllabae: -āi̯ -ēi̯ -ōi̯; quod satis cognitum est. Gr. *βουλᾶι δάμωι* D. I. 3007, auest. miθrāi, hibern. fiur e *uir-u pro *virōi̯, goth. daga, lith. vil̃kui (a vṛkōi̯ Brugman Gr. I. § 148), lat. *fidēi̯ fidē *Mututāi̯ Matutā Buecheler l. c. § 263; *duenōi̯ duenō in tit. "Dueni" (lego enim sic: 'dueno inem', u. p. 29).

Ad haec duo genera accedit in quibusdam linguis tertium eorum quae sunt figurata productius grauiusque terminatione disyllaba. Goth. gibai (-ai ex -oi, quod ex ōi, hoc autem fortasse ex āī) disyllabam huius generis terminationem contraxit; latine fidēī Ennius; terrāī frugiferāī Id. ap. Charis. 19 K. Quemadmodum scr. senāyai, item lat. fidēī terrāī uidentur terminationem datiui geminasse. In hoc genere forsitan referre liceat illa ap. Mar. Victorinum ll. q. d.: populoi, romanoi, ut sint populōī, romanōī; certe non dubito quin ex hoc genere sit id de quo agitur: pilumnōē poplōē, quod uarietate scripturae posterioris est pro antiquo pilumnōī poplōī. Quod possis sumere ductum esse a uetere terminatione datiui disyllaba -aie, quam credo exstare in scr. áçvāi̯a (cf. Whitney Gr. Scr. § 327, aliter Schleicher Comp.[4] p. 554 et Bartholomae altiran. Dial p. 95[1]), quod latine oportuit esse *equōie, inde equōī. — Sed magis crediderim hanc datiui formam factam esse per adsimilationem uel analogiam. Cum enim essent latini datiui in -ō et -ā et -ē desinentes, cum essent etiam terminationes cognatae similesque quae idem significabant -āī -ēī, consentaneum fuit eadem forma datiuum in -ōī quoque declinari. Hanc enim rationem poni oportet: dat. sg. -ā, -ē: dat. sg -ō = dat. sg. -āī, -ēī: dat. sg. -ōī.

Excursus I.

de Iano Sole.

Antiquissimum de Iano testimonium est Lutatii Daphnidis, qui libertus fuit Q. Catuli, eius qui a C. Mario mortem sibi ipse consciscere est coactus. Is Daphnis Ianum Solem esse dixit. Ioann. Lyd. de mens. IIII. 2. p. 52 B (p. 14 8 R) *Ὅγε μὴν Λουτάτιος Ἥλιον* (scil. *Ἰανὸν εἶναι νομίζει*) *παρὰ τὸ ἐφ' ἑκατέρας πύλης ἄρχειν, ἀνατολῆς ἴσως καὶ δύσεως.* Post eum Nigidius Figulus ap. Macrob. S. I 9. 8 latinum Ianum eundem esse uoluit atque graecum Apollinem. Pro Sole Ianum habuerunt etiam physici uel platonicae sectae uel stoicae, ut M. Messalla ap. Macrob. S I. 9. 14, cuius uerba, cum ad alterum excursum peruenero, explicabo; ut Iamblichus, siue alius fuit platonicus, cuius doctrinam Macrobii auctor ap. Macr. S. I. 9. 16 latine reddit. Hi solem mundi rectorem esse putabant. Inter recentiores Solem ab antiquissimis Romanis Ianum esse habitum putant Buttmann Act. Ac. Berolin. 1816—17 p. 127 sqq. (= Mythol. II 70 sqq.), Gerhard Ges. Abhandl. I. 311, Preller Mythol.[3] I 167 sqq. Iordan Btr. p. 224.

Huic sententiae finitima est eorum antiquorum qui Ianum eundem esse atque Solem et Lunam dicebant et in hoc uno utrumque exprimi numen (Macrob. S. I. 9. 5). Inter recentiores Georges lex.[7] s. u. Boettigeri auctoritati se applicans Iani bifrontis hanc duplicem esse potestatem dicit. Quod quominus probem causa est quod Ianus utrumque os gerit uirile, Luna Romanis semper erat dea.

Sunt qui putent Ianum nihil aliud esse quam deum portarum et principiorum. Inter antiquos nomino Ciceronem, cuius de hac re uerba sunt N. D. II § 67, inter recentiores Chr. Cauallin, lexic. s. u. et Th. Mommsen Hist. Rom.[7] I. 165 ann. Huic sententiae coniunctum est quod dicit C. O. Mueller Etr.[1] III p. 58 etruscum Ianum quadrifrontem uel Caelum et romanum portarum deum inter se confusos esse in unius numinis potestatem.

Chaos, ut omnium primum, quod dicit Hesiodus Theog. 116, Ianum esse, principiorum potestate ad physicam rationem traducta, putarunt Verrius Flaccus ap. Paulum Festi p. 52 et Ouidius Fast. I 103. Etiam fuerunt teste Seruio ad Aen. VII. 610, qui Ianum ab eundo dictum cum Marte Gradiuo confunderent; hi ratione sane non ita absurda usi sunt, quia aeque licebat existimare Ianum, si erat Sol, ac Melkarth-Herculem Marti, ueris deo, coniunctum potestate atque cognatum.

Gauius autem Bassus aera Ianum esse dixit. Ioann. Lydus l. c. *Ὁ δὲ Γάιος Βάσσος ἐν τῷ περὶ θεῶν δαίμονα αὐτόν* (scil. *Ιανόν*) *εἶναι νομίζει, τεταγμένον ἐπὶ τοῦ ἀέρος, καί δι αὐτοῦ τὰς τῶν ἀνθρώπων εὐχὰς ἀναφέρεσθαι τοῖς κρείττοσι.*

Varro, grauissimus omnium auctor, Ianum esse uoluit mundum i. e. caelum, teste Augustino de Ciu. dei VII c. 7. Inter recentiores Deecke, Etr. Forsch. II 125 sqq., IV 24 sqq. in eandem sententiam subtiliter disputauit.

Restant ex recentiorum numero duae sententiae. Creuzer Symbol. II p. 883 sqq. Ianum facit annum zodiacum percurrentem. Quod uanum esse intellegitur ex eo ipso quod usque ad VII:mum urbis saeculum annorum initia non ab Ianuario, sed a Martio mense Romani fastis quidem et solemnibus ritibus ducebant. A Creuzeri sententia non multum distat id quod docet Nissen in egregio libro de Templo p. 228, Ianum esse deum anni in se ipsum reuertentis et significare ipsam notionem primi et potremi, quae et contraria et inter se relata, per omnem rerum naturam diffusa esse. Acute ille quidem, sed minus ad persuadendum apte, quod ne Romani quidem antiquissimi tam praesentis dei uim ita animis concipere potuerunt ut nihil esset aliud quam ambitus notio uniuersa et a sensibus remota ("diese Gottheit in ihrer formlosen Abstraktion" Nissen l. c. p. 229).

In tanta dissensione hoc unum apparet Romanis ipsis inde ab iis temporibus quorum primi exstant de hac re auctores, uim Iani fuisse obscuram. Quamobrem quaestio ita instituenda ut quaeramus qualem Romani cum antiquissimi tum ea aetate quo carmen Saliare scriptum est Ianum animis finxerint. Fragmento hoc carminis Saliaris quod primum posui adductus sum ut Ianus Sol esset, quod, quantum uideo, non quit aliter intellegi; accedunt argumenta non pauca; alia breuiter attigi, alia a Buttmanno et Prellero dicta sunt, alia hac disputatione sum additurus.

Romanos hunc deum cum Ioue et Marte praeter ceteros suum ac uere latinum existimasse hoc ipsum declarat quod asses eius capite bifronti antiquitus signare solebant. Graeci autem cum multa commenti sunt ut initia religionum populi romani humanitatisque graeca esse uiderentur, tum Iani originem quidam ad Graeciam retulerunt. Athenaeus XV p. 692 E; Plutarchus *κεφ. καταγρ. ῥωμ.* XXII et XLII; graeco auctore Seru. ad Verg. Aen. VIII 357. Quid? quod Graeculus aliquis apud auct. l. de Orig. Gent. Rom. 2. 1 eum facit Atheniensem natumque Creusa Erechthei regis filia. Spreta ac missa hac commentorum uanitate sequimur potius famam originis latinae. Erat enim fama uetus et communis eum fuisse antiquissimum regem Latii, quod tradunt Ouidius Fast I 241 sqq; Macrob. I. 9. 2; 18 sqq; Hyginus Protarchum Trallianum secutus ap. Macrob. S. I. 7. 19: Seru. ad Aen. VIII. 355; Auct. Org. Gent. Rom. 1. 3. sqq; 3. 7; Lactantius I. 13 p. 47 ed. Bip.; Plutarchus Num. c. 19 extr. *Ὁ γὰρ Ἰανὸς ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς, εἴτε δαίμων εἴτε βασιλεὺς γενόμενος πολιτικὸς καὶ κοινωνικὸς ἐκ τοῦ θηριώδους καὶ ἀγρίου λέγεται μεταβαλεῖν τὴν δίαιταν.* Ut Graeci Graecum ita Tusci uidentur eum fecisse Tuscum, si modo Anius ille Etruscorum rex ap. Pseudo-Plutrch. uit. parall. breu. XL, cuius esset Salia filia, Ianus dictus est. Quod quoniam est ueri simile, ne nomen quidem Iani tusca origine esse potest. Cum enim C. O. Mueller Etr. III p. 58 demonstrasset sermonem tuscum, cui I littera deesset, abhorrere a uoce Iani, Deecke Etr. Forsch. IV. 25 disseruit, in monumento aereo illo, quod abhinc decem annos ad Placentiam inuentum est, tusca uocabula Ani et Uni esse latine Ianum et Iunonem. Sed enim est de hoc no-

mine quaestio difficilis quae inter Iani nomen dei et iani nomen appellatiuum intercedat ratio. Buttmannus quidem ll. cc. mihi uidetur errasse quod haec origine diuersa coniuncta usu esse putauit, uerius Iordanus Herm. IV 235 aliisque locis origine esse eadem. Non antiquius esse appellatiuum ex his argumentis colligo. Nam Iani nomen dei peruetustum est; iani nomine appellatiuo primus omnium scriptorum latinorum utitur Cicero N. D. II § 67, et quidem ad Iani nomen dei interpretandum, deinde Liuius, post Suetonius (locos nominant Klotz et Georges et Forcellini s. u.); nec uero in titulis liberae reipublicae id nomen appellatiuum exstat; exempla titulorum enumerat Iordan Topogr. Roman. I. 1. 29 [42]); annot. ad Preller Myth.[3] I 167[2]); adde 2032 Wilmanns Calibus rep. AB IANV AD GISIARIOS, qui ianus dubium est utrum cum Iano sacrato dictus sit, an sine eo. Sed antequam ad communem appellationem ea uox uenit, speciatim quidam Iani Romae nominabantur ad locos quosdam significandos. Ut Cicero de off. II § 87 "a quibusdam optimis uiris ad Ianum medium sedentibus"; quin illi negotiatores eo loci nomine comprehenduntur Cic. Phil. VI § 15 "L. Antonio a Iano medio patrono". Veri simile igitur est Iani nomen ad ceteros ianos translatum esse ab iis in quo Ianus erat sacratus, Iano Numae et Iano Duilii et Iano quadrifronte falisco. Ouidius Fast. I 257 rei rationem quasi subuertit perturbatque. Nam qui locus primus Romae ita est dictus, is fuit Ianus Geminus Numae. Eum locum primo portam Ianualem dictam esse auctor est Varro, quam nominat cum uetera et antiquitus tradita locorum urbanorum nomina secundum ueteres pomparum commentarios percenset, de L. L. V 165 (porta) "tertia et Ianualis dicta ab Iano et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi bellum sit nusquam". Ut nomina deorum ipsa breuitatis causa ponerentur pro aedibus uel sacellis deorum ad locos significandos peruulgatus erat mos. Quod primo sic dictum erat: a Florae et ad deae Qiae — de qua structura cf. Kühner II Gr. p. 175. 6. — id post etiam fuit a Flora, ut Varro L. L. V § 158 "cliuus proximus a Flora susus uersus ad Capitolium uetus", et ad Deam Diam act. fr. Aru. 40 Henzen; Vortumnum Horatius Ep. I. 20. 1 dixit pro Vortumni sacello et similiter Vergilius de alio genere aedium: "proximus ardet Ucalegon" et Plautus Men 1044 "ut a med abeat" pro "domo mea." Ianus Quirinus principali significatione deus dictus est in libris pontificum ap. Festum 189 M. "tertia spolia, Ianui Quirino agnum marem caedito": Ianus Quirinus porta Ianualis est apud Suetonium Aug. c. 22 "Ianum Quirinum, semel atque iterum a condita urbe ante memoriam suam clausum in multo breuiore temporis spatio terra marique parta ter clusit. Quod quoniam Suetonius de monumento Ancyrano transscripsit, iure in hoc legitur: [Ianum] Quir[inum], tametsi in graeco est *πυλὴ Ἐνυάλιος* (aliter Iordan Top. Rom. I 2. 346 [45]), is dubitat utrum legat ibi Ianum Quirinum an Ianum Quirini). Hanc portam antiquam Horatius C. IV. 15. 9 *καταχρηστικῶς* uocat Ianum Quirini, quamquam Ianus ipse nunquam solo Quirini nomine dictus est; uerius Plutarchus de fort. rom. c. 9. *τὸ τοῦ Ἰανοῦ δίπυλον*. Eundem Ianum dicit Ouidius Met. XIV 785: "Iano loco iuncta tenebant Naides" et 789 "nondum tamen inuia Iani ora patentis erant". Hoc igitur loco Ianus Quirinus Ouidio non tam deus quam porta, qua Naides Sabinis iter nouo fonte praestruentes facit; quo autem altero loco eandem rem narrat, ibi Iano Quirino reddidit diuinitatem ipsumque facit auxilium illud Romanus ferentem Fast. I 269: "oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi, sumque repentinas eiaculatus aquas".

Itemque Ianus Geminus idem tum deus tum signum dei tum portae uel aedicula cum signo. Et quidem primo deus. Aurelius Victor 3. 1. (Numa) portas Iano Gemino aedificauit. Et Macrob. § I. 9 9; 15. Signum: Plinius N. H. XXXIII. 7. 33 D. "Fuisse autem statuariam artem familiarem Italiae quoque et uetustam indicant Hercules ab Euandro sacratus — praeterea Ianus Geminus a Numa rege dicatus — digitis ita figuratis — —". Quo loco Ianus dicatus pariter dicitur atque. ab Horatio dedicatus Apollo (C. I. 31. 1). Denique portae geminae huius dei: Velleius Pat, II. 38 "tertio Augusto principe certae pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit." Haec igitur nomina sunt ambigua, quod deus ipse et eius signum cum portis geminis nec mentibus satis discernebantur, nec sermone distinguebantur. Quamobrem Ianus Geminus ad forum consecratus fit ab Horatio genius fori et forensis deus et nummulariolus, ut quasi negotiatoris personam gerat et per translationem pro tota negotiatorum turba ponatur Ep. I. 1. 53 "o ciues ciues quaerenda pecunia primumst: haec Ianus summus ab imo prodocet, ad quem locum cf. Bentleii et Schuetzii adnott. et Iordan Topogr. Rom. I. 2. 217 [52]). Nam Porphyrio ad h. l. Ianos eos qui essent in regione basilicae Pauli non uidetur finxisse uanos, quod ponit Iordan, praesertim cum iam aetate Suetonii non pauci fuerint cum per urbem tum ad forum et in foro iani, sed perperam id quod esset sua aetate ad Horatii aetatem rettulit. Cum autem nihil ad ipsam uim aut numen Iani pertineat illud Horatii, sic sentio, Horatium respexisse imaginem et sacellum Iani, atque etiam de ceteris in foro ianis cogitantem, omnes illos uno Iano Gemino quasi sub eius essent tutela comprehendisse; prorsus ita idem Marsyae signum — cuius imago nuper est Romae inuenta — facit sentiens uiuumque S. I 6. 120. Similiter Seneca Apocol. c. 9. Ianum dicit e loquentem qui tot causidicos per basilicas uerba facientes audiat: "Ianus Pater — multa diserte, quod in foro uiuebat, dixit". Sed, ut paucis complectar, ita censeo: ianos ab Iano dictos esse primo eos ubi esset consecratus, deinde id latius serpsisse ut etiam alii iani dicerentur propter similitudinem, itaque per translationem appellatiuum, ut cum dicimus: 'sub Ioue' uel' proprio Marto' uel 'damnosam Venerem'. Nam e contrario Ianum dictum ab ianis non satis ueri simile est; quod deorum nomina, quae quidem possint intellegi unde sint, uel dicta sunt a qualitate et re uniuersa, ut Venus Herentas Iuuentas Pauor Pallor Mens Robigo, uel primo adjectiua fuerunt aut adiectiuorum forma efficta, ut Summanus et Siluanus et fortasse Faunus, uel nomina agentis, ut Ruminus Lucina Veruactor, uel nomina eorum quae in rerum natura animos hominum uehementius percusserant, ut Sol Luna Fulgur. Nec uero illa quae sunt nomina rerum ab hominibus fabricatarum, ut pons domus securis ligo porta, deorum item nomina fieri solebant; ergo ne ianus quidem si est transitio peruia opera humana facta, nedum numen tantum tamque sanctum eo proprio unoque nomine uteretur. Accedit quod nullum exemplum est, quo collato efficias ianum transitionem nominari potuisse prima positione. Neque enim non dubium est an scr. iâna huc non pertineat, quod fortasse, ut dicit Schade lex. I. s. u., coniunctum est cum theod. iân, si modo hoc est a rad. iĕ; nam, sitne, quam esse posuit Fick. thes. III 209 et I 729, "iā" radix ea significatione valde est incertum. Et cum latina sint pauca quorum ad a e aliarum linguarum respondere uideatur, tum uix in eo numero inuenies quae a producant. Nam Saturnus primo fuit Saeturnus, quod collato inscr. CIL. I. 48, restituendum esse Paulo Festi p. 323 et Festo p 325 animaduertit Ritschl Op. IV. 271; quod tamen non quadrisyllabum esse censeo, sed trisyllabum

Saeturnum pro Sēturno (aliter Corssen Btr. z. It. Sprk. p. 313 et Fick Spracheinh. d. Indog. p. 148 et Ioh. Schmidt, Verw. verh. d. Indog. S. p. 66, cuius sententiam sequitur Pauli altit. Stud. IV p. 50) ut saecla pro sēclis, caepa pro cēpa (caepa: cáput = Saeturnus, Saeclum: Sătus) saepio saepes pro sēpe sēpio; postremo hic deus dictus est Sāturnus aut quemadmodum sator sata. aut quod aduenticia uox genuinam pepulerat, nam tusce fuisse eum Satre auctores sunt Gerhard Ges. Abh. I. 314 et C. O. Mueller Etr. II 57 sq. et Deecke E. F. IV 65. — Sed redeo ad Ianum. Quod ad originem eius nominis attinet, ut omittam eos qui Ianum et Ianuarium dicta esse putabant a Ianua, in quo numero sunt Tertullianus de Idolol. c. 15 et de Coron. c. 13 et Censorinus c. 22 et Demophilus ap. Lyd. de mens. 2. p. 148 R., et ut non dicam Verrium Flaccum, qui ap. Paulum Festi p. 52 Ianum quasi Hianum appellari ponit, Cicero Ianum ab eundo nominatum dicit N. D. II § 67. Hoc ueriloquium incertum, sed non contemnendum. Nam aeque radicis uerbalis ei leuissima forma, cum accentus omni ui careret, in semiuocalem i̯ ante uocalem mutari potuit communi lege indogermanica — cuius haud pauca exempla Osthoff M. U. t. IV protulit — atque par pronominalis radicis ei leuissima forma i, si accesserunt thematum uocales -a -o -e has formas alias in aliis linguis indogermanicis reddit: i̯o- i̯ē-, i̯ē-, i̯a- (et e͡o-, e͡a-) nam uanam fingit Vaniček lex. lat.[2] p. 224 radicem pronominalem i̯a-, quae fuit numquam. Itaque, ut a stirpe pronominali ductum est *i̯-a-smi iam monosyllabum (cuius tamen i syllabae uim per compositionem potest recuperare: "quŏnĭām sordent tibi munera nostra" Verg.), item a uerbali stirpe dici potuit i̯-āno-s disyllabum, quasi incedens (caelo) deus, quod ad solem significandum est aptissimum. Sic Vom-ānu-s, quasi uomens, fluuius; Leu-āna quasi leuans dea, Vor-ānu-s ille ap. Horatium, quasi uorans. "Suffixum" enim -ānus, quod Schnorr v. Carolsfeld Woellffl. Arch. I. 183 positionis secundariae terminis circumscripsit, tamen fuit etiam "primarium", idque maxime prisco more, ut ab arcendo 'arc-ānus' et ea quae dixi; et quidem ad deos nominandos tum "primarium" tum secundarium erat usui, ut Summ-ānus Silu-ānus Vulc-ānus Patell-āna Praest-āna Vatic-ānus Leu-āna Tut-ānus. Et haec hactenus de originatione ea quam fecit Cicero.

Illa aeque incerta eademque pariter notabilis etymologia quod dicunt Ianum esse a Di(u)ano. Ei rei uiam praemonstrauit Nigidius Figulus teste Macrobio l. c. eo quod dixit Dianam esse Ianam; quod si contra accipias quam dixit Nigidius, ut Iana sit Diana, fortasse uerum est. Nam Varro R. R. I 36. 3. "Tremellius, numquam rure audisti, inquit, octauo †lanam †lunam et crescentem et contra senescentem et quae crescente luna fieri oporteret, et tamen quaedam melius fieri post octauo †lanam †lunam quam ante? Pro †lanam †lunam Angelus Politianus exeunte saeculo quinto decimo inter lectiones ed. principis correctas scripsit Ianam lunam. Eam lectionem recepit Iosephus Scaliger de uetere anno Rom. Graeu. Thes. VIII 311 et Coniectan. p. 80. Ego puto †lunam eiciendam, ut glossam, et utroque loco pro †lanam †lunam legendum: Ianam. Item ap. Tertullianum ad Nat. II c. 15 p. 606 M. uidetur esse sic legendum: et diua Arquis et Iana (Lana codd.). Et quoniam ex Varronis loco apparet Ianam esse Lunam, coniecto, si diua Arquis arcum et portarum dea est, ut suspicatur Preller Myth.[3] II 220, hanc eandem esse Ianam, ut Ianus qui principali potestate solis fuit numen, idem est portarum. Ianum autem Scaliger (Append. ad

Coniect. in Varron. p. 189) a *Diuiano dictum esse ponit, ut Varro Diana a *Diuiana; nec multo aliter Claudius Salmasius ap. Creuzer Symbol. II 879 ab aeol. *Ζάν*. Quod si ita mutaueris, quod quidam fecerunt, ut dicas Ianum esse a *Dj̣āno, tamen non magis probabile erit quam id quod dixit M. Mueller Vorles. I 485 ed. germ. Ianum eundem dictum ac scr. dyavan (caelum). Neque enim quisquam adhuc demonstrauit praeter diēu- diē(u)- dieu- fuisse hanc grauiorem formam indogermanicam diāu- diā(u)-; *Ζάν* et *Ζάς* nihil certi indicant, quae iure dubites an non sint principales (de quibus cf. G. Meyer Gr. Gr. § 324, paullo aliter Curt. Etym.[5] p. 616). Corssen Btr. zur It. Spr. k. p. 357 probabiliorem coniecturam fecit Ianum esse a *Divano. Sed hoc ipsum quoque est incertum. Quodsi Ianus primo fuit *Divanus *Dĭanus *Dj̣anus, dictus est quasi fulgens, quod aeque in caelum atque in solem cadit. Ex his igitur quae de nomine Iani disputata sunt non modo nihil efficitur cur Ianus primo Sol fuisse uideatur, sed ipsam huius nominis originem esse incertum. Verum enimuero tantum profecimus ut uideamus nomen in causa non esse quominus Ianus Solem significare potuerit.

Iam uideamus quae ex litteris ac monumentis erui possint ad id quod quaerimus extricandum.

Quo nomine Ianum Horatius appellauit: "Iane pater seu Matutine libentius audis", id Matutini nomen vix potest dubitari quin de oriente Sole a priscis Romanis sit usurpatum. *Ἀπόλλων Ἔναρος* a Graecis pari nomine inuocabatur, Hesychio teste (cf. *ἐναίρω πρωΐ. Κρῆτες* Id.) et *Απ. Ἔῳος*.

Gemini Iani quae propria ac principalis uis fuisse uideretur breuiter dixi p. 2; de eo nomine mox accuratius dicam; eadem fere sententia dictus est Patulcius et Clusiuius, cf. p. 21 et Seru. ad Aen. VII 611 et Bergk Op. I 484; ad eandem Iani potestatem pertinet ianeus, quod est ap. Paulum Festi p. 103; sic Ianus dicebatur quasi caeli ianitor. Itemque in hymno uedico X 177 Sol dicitur custos qui ultro citroque uagetur per mundos. Iam Nigidius ap. Macrob. S. I. 9. 6, *Θυραῖον* et *Ἀγυιέα* cum Iano latino comparauit (de quo paullo aliter Lehrs Pop. Aufs. p. 152). Nec alienum est illos qui uocabantur a Graecis *Ἀντήλιοι* ad comparationem adhibere, quia videntur fuisse quasi Solis ministri iidemque portarum praesides, de quibus Hesychius *Ἀντήλιοι*, inquit *θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι*, et *Ἀντήλιος ὁ ἀντικρὺ ἡλίου ἱδρυμένος βωμὸς ἢ θεός*. Tertullianus de Idolol. c. 15 "Ianum a ianua — etiam apud Graecos Apollinem *Θυραῖον*, et Antelios daemonas ostiorum praesides legimus". Etiam ea fabula quam de Carna, dea cardinis, narrauit Ouidius Fast. VI. 101 sqq. confirmatur quodam modo id quod posuimus Ianum fuisse deum portarum et eundem Solem. (Carna pro *Cardna dicta est ut urna quernus pro *urcna *quercno; *cardnēs autem, quod post factum est 'cardinis', d retinuit ut similitudo per declinationem casualem aequabiliter conseruaretur). Ea cum ab Iano amaretur, cum eum fallere, ut ceteros, contenderet, oculus bifrontis dei effugere non potuit. Cui hic in mentem non uenit Solis omnia intuentis? — sic Plinius H. N. II 13 — qui *παντ' ἐφορᾷ*, ut ait poeta *λ* 109, qui etiam ab Indis dicitur viçvacakṣas Rig- Ved. I. 50. 2 "cuius luminis aciem fugiant stellae tamquam fures nocturni". Similiter dictus est Apollo *ἐπόψιος* Hes. Hanc Carnam siue Cardeam ueteres non distinguebant ab illa quae carnem uisceraque infantium aleret (u. Preller Mythol.[3] II p. 237). Ea ut ab infantium

sanguine hauriendo arceret striges, Iani baculo utebatur. Ouidius l. c. u. 165 "uirgaque Ianalis de spina ponitur alba, qua lumen thalamis parua fenestra dabat". Obscurum illud quidem, sed certe ad eam rem ope Iani utebatur. Cuius Iani? An Solis? quem almum dixit Horatius et Sophocles O. R. 1425 *τὴν πάντα βόσκουσαν φλόγα ἄνακτος Ἡλίου*. Etiam Apollo erat *κουροτρόφος* (de quo u. Preller Mythol. Graec.[4] ed. Robert I. 1. p. 273).

Quae cum ita sint, non possum assentiri quibusdam Ianum esse caelum; aliud est enim caelum ipsum, id est Iuppiter, aliud eius ianitor, id est Ianus, cuius ualde uenerabile numen tamen dignitate Iouis erat inferius. Is cottidie caeli portas permeans, alteram ab oriente, ab occidente alteram — haec occidentalis ab Homero *ω* 12 dicitur *ἠελίοιο πύλαι* —, aperiendo et claudendo lucem mortalibus credebatur certa lege ministrare, ut dispensatorem Iouis iure eum diceres.

Etiam preces hominum ad aures deorum admittere Ianum, ut Ianitorem mundi, uulgo putabant. Ovidius I Fastor. 171 sqq. "Mox ego: cur, quamuis aliorum numina placem, Iane, tibi primum thura merumque fero? Ut possis aditum per me, qui limina seruo, ad quoscumque uoles, inquit, habere deos". Arnob. III. 29 et Macrob. S. I. 9. 3, quos nominat Preller Myth. Rom.[3] I 169[2]). Gauius Bassus ap. Lydum de mens. IIII. 2 p. 52 Bk. Itaque ei primo in omnibus sacris Romani supplicabant, (cf. Brisson de formulis c. LXXV), idque et publice: Liu. XIII. 9; Mart. X. 28. 1; Act. fr. Aru. p. 144 Henz., et priuatim: Cato de agric. c. I; 134; Hor. I ep. 16. 58 sqq.; Iuuen. VI 386 sqq. — (Hanc ab causam uersus Ianulos in primo loco collocaui).

Etenim cum sol omnia radiis intret, facile intellegitur cur ad omnia aditum eius beneficio patere Romani prisci putauerint. Itaque Ianus Consiuius*) uocabatur qui aditum aperiret recipiendo semini August. C. D. VII. 2. Quo factum est ut Ianus primus omnium deorum in Indigitamentis nominaretur, August. C. D. VI. 9. Praeter uim aperiendi in sole etiam esse semina uitae — quod erat consentaneum — multi existimabant. Quod dicere uidetur Macrob. I 9. 16 Ianum uocant "Consiuium a conserendo, id est a propagine generis humani quae Iano auctore conseritur". Hac potestate *γονόεις* graecorum *Ἥλιος* a Nonno 12. 2 nominatur, et Seruius ad Aen. XI 51 dicit cum nasci coeperimus nos sortiri a Sole spiritum; idem docet fusius Macrobius ad Somn. Scip. I 19. 23. Quae tametsi physicorum fuit doctrina, tamen non ita in philosophorum argutiis uersabatur ut nullum locum haberet in mentibus uulgi. Quin ipsa Romanorum opinio antiquissima cum aetate postrema paganismi hac re quodammodo consensit; nam et Salii duonum Cerum Ianum uocabant, ut bonum genium uel generatorem, et Sol genius dicitur titulo Heluet. Wilmanns 2247 Soli Genio Lunae et Orell. inscr. 324; 1928. Etenim aliqua eorum quae de dis prisci Romani non ubertate ingenii ficta exornauerant, sed acutae rationis subtilitate inuenta excogi-

---

*) Ingeniosa coniectura Haueti est scribentis 'Cozeui' pro eo quod est in libris: "cozeul", quod primum est harum reliquiarum uerbum. Sed Haueti coniectura duobus argumentis infirmatur. Primum moneo Haueto scribendum fuisse non Cozeui, sed Cozeuie; neque enim inde a carminis Saliaris aetate contrahi potuit uocatiui terminatio. quam ne Liuius Andronicus quidem contraxit. Et ne Conzeuie quidem probandum, quod metro repugnat. Accedit quod adoriese solis nomen requirit, nam dicitur Sol oriri, Consiuius oriri non dicitur.

tauerant, cum primo, uarietate graecorum numinum officiente, obsoleuissent, tamen posteriorum physicorum et sacerdotum rationibus, mutata specie ac mutatis uerbis, quodammodo revocata sunt atque renovata. — Indi Solem, ut uitalem genium, uenerabantur. Velut de laude Solis hoc est R. V. I 115 "caelum terram aerem impleuit Sol (Sūrya), spiritus et anima eorum quae consistunt et quae mouentur". Graecis erat suus 'Apollo Genitor' de quo Cloatius et Varro ap. Macrob. S. III 6. 2–6; Censorinus c. 2 extr. Ianus patricius (sic Cornelius Labeo ap. Lydum de mens. 143 R) nescio an iure conferatur cum eo qui a Graecis dictus est Apollo *ἀρχηγός, πρόγονος, πατρῷος* (de quo Preller Myth. Graec. I 272[2]). Hanc congruentiam, siue a communi forte profecta siue fortuita est, uiderunt iam antiqui, teste Macrob. S. I 17. 42. Fortasse primo idem fuit Ianus patricius ac Sol Indiges CIL I F. ad a. d. VIII Id Aug. Quo factum est ut Ianum antiquissimum deum Latii dicerent. Procopius Goth. I 25 p. 122 *πρῶτον τῶν ἀρχαίων θεῶν* eum nominat. Haec tamen non proinde disputo quasi negem antiquos fere omnes consensisse maximam partem ortus humani Iouis beneficio acceptam esse, quod satis apparet ex indigitamentis, et cf. de ea re C. O. Mueller III Etruscor p. 91. Ea igitur doctrina quae Soli maiorem atque adeo uniuersam uim attribuit, eum cum ceteris summis dis confunderet necesse erat; quod ostendit uersus ille Orphicus: *εἷς Ζεύς εἷς Ἀίδης εἷς Ἥλιος εἷς Διόνυσος*. Eius commixtionis atque confusionis causa erat studium quorundam potestates deorum arte digerendi et formulis concludendi. Aliter priscae gentes temporum antiquiorum, quae deos nec subtiliter distinguebant nec tamen non discernebant. Antiquitus enim uel Graeci uel Romani etiamsi et Solem, siue eo nomine siue Apollinem siue Martem — quod tamen de Marte, est incertum *) — eum uocabant, et Iouem, id est Caelum, pro Geniis uniuersalibus uitaeque humanae datoribus habebant, tamen non confundebant aut permiscebant eorum numina. In ea tempora cadit quod de Indis aetatis uedicae dicit M. Mueller, Indien in s. weltg. Bedeutung p. 126. "Es ist der eigenthümliche Charakter jener Phase des religiösen Denkens, welche wir in Veda zu studiren haben, dass in ihr das Göttliche als mannigfaltig aufgefasst und dargestellt wird, und dass viele Thätigkeiten von verschiedenen Göttern gemeinsam verrichtet werden, da noch kein Versuch gemacht worden ist die ganze Körperschaft der Götter zu organisiren, dadurch dass man den einen vom anderen scharf trennt und sie alle verschiedenen oder am Ende einem Oberhaupt unterordnet".

Cum aquis et fontibus antiqua fama Ianum coniungens uxorem ei dedit Iuturnam filiumque Fontem. Similiter Apollo uulgo posteriore aetate erat etiam Pluuius. Ambrosius de ben. patr. 12. 59 "quasi bonus agricola dixit: Ego plantaui, Apollo rigauit".

Annusne — quod dicit Creuzer Symbol. II 883 aliique — Ianus fuit? Et affirmare hoc licet et negare. Nam uel spatiis annuis Solis uel tempestatibus anni diuiduntur. Tempestatibus diuisus annus et ad ciuilia instituta et ad sacrorum caerimonias Romae antiquitus maximi fuit momenti. Februarium mensem anni fuisse ultimum, uere tradi-

*) Cf. Roscheri de hac re disputationem. Apollinem primo Solem fuisse arbitror; eius rei memoria paene oblitterata, sed non abolita erat, cum aetate Euripidis philosophorum rationibus reuocata est. Aliam de prima Apollinis potestate sententiam nunc edidit von Schroeder K. Ann. XXIX p. 190 sqq.

dit Varro L. L. VI. 13. 34; falso Ouidius Ianuarium et Februarium primo esse separatos, uere Licinius Macer Romanis inde ab Romulo, id est ab antiquissimis temporibus, menses fuisse duodecim. Haec Unger Iw. Muelleri Antiqu. I. 2 614 sqq. et 626 exposuit. Ut Slavis ita Romanis anni principium antiquitus erat uer. Vere in illis regionibus pulcherrimo ueniente —, cum cateruae iuuenum ad res gerendas egrediebantur, initium fuit anni romani (cf. Varron. uerba L. L. VI. 34). Ei autem anno non Ianus, sed Mars, ueris deus praeerat. Quae fabulae ad hoc spectant, eas explicauit et exposuit Usener M. Rh. XXX 194 sqq. Primi consules Romanorum cur Ianuario mense crearentur, causae fuerunt peculiares. Ianuarius autem anni initium uerum denique inde ab saeculo VII. factum est, postquam solennis erat mos ut consulatus inirentur Kalendis Ianuariis (u. Unger l. c. p. 644). Posterioris igitur aetatis mos atque opinio elucet ex eo quod scribit Ouidius I Fast. 63 ad Kal. Ian.: "Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum, inque meo primus carmine Ianus adest. Iane biceps, anni tacite labentis origo". Et Statius ad Domitianum S. IV. 2. 61 "saepe annua pandas limina, saepe nouo Ianum lictore salutes"; cf. S. IV. 1. 1 sqq. Et Luxorius 352. 1 R. "Lucifer annorum — Sol, Iane — —".

Porro annuum solis curriculum, quod circumagi uidetur, flexusque uel metas eius i. e. solstitia, ut alii populi, item Romani antiquitus obseruarunt. Quod apparet et ex aliis rebus et ex eo quod aliter menses crescentis lucis a Ianuario ad Iunium nominati sunt, aliter ceteri a Quinctili decrescentis. Mitto quod in Italia inuentum est — nunc est in Vaticano — signum solis cum balteo signis Zodiaci distincto (u. Rapp Roscheri Lex. Myth. p. 2002). Hoc enim tam est posteriorum temporum quam illud Valerii Flacci IV. 92 "Sol auricomis urguentibus Horis multifidum iubar et bisseno sidere textam loricam induitur". Cur huius maioris ambitus sideris, qui graece *λυκάβας* est dictus (Welcker Gr. Götterl. I. 476 sqq. Lob. Phryn. 610) initium a Iano dictum sit Ianuarius, causa sine dubio est ea quam edidit Plutarchus *κεφ. καταγρ. Ῥωμ.* c. 19. "*Διὰ τί τὸν Ἰανουάριον μῆνα νέου ἔτους ἀρχὴν λαμβάνουσι;*" — — *ὁ Νουμᾶς* (?) *τῇ φύσει προσήκουσαν ἀρχὴν ἔλαβε τοῦ ἔτους ὡς πρὸς ἡμᾶς.* — — *μετὰ τροπὰς χειμερινὰς* — — —, *ὁπηνίκα τοῦ πρόσω βαδίζειν πεπαυμένος ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει καὶ ἀνακάμπτει πάλιν πρὸς ἡμᾶς· γίνεται γὰρ* (*ἀρχή τις*) *αὐτοῖς τρόπον τινὰ καὶ φύσει τὸν μὲν τοῦ φωτὸς αὔξουσά χρόνον ἡμῖν, μειοῦσα δὲ τὸν τοῦ σκότου, ἐγγυτέρω δὲ ποιοῦσα τὸν κύριον καὶ ἡγεμόνα τῆς ῥευστῆς οὐσίας ἁπάσης.* Item ap. Statium S. IV. 1. 3 Ianuarius est sol nouus. Apud Ausonium Ed. VIII p. 24 Peiper haec recurrit precatio consulis designati pridie Kalendas Ianuarias fascibus sumptis: "Iane ueni: nouus anne, ueni: renouate, ueni, Sol". Ianos annos Ausonius dixit p. 195, 6 P. Ergo non ex uerbis Ausonii postremi aeui poetae uerbis, sed ex tota hoc disputatione intellegitur Januarium a Ianu, ut solis deo dictum.

Item anno, ut certo numero spatiorum diurnorum solis i. e. dierum praepositus erat Ianus. Eius enim rei nota fuit Ianus Geminus, qui traditur a Plinio H. N. XXXIV 33, "a Numa rege dicatus digitis ita figuratis ut CCCLXV dierum nota per significationem anni temporis et aeui esse deum indicarent". Idem traditum est ap. Macrob. S. I 9. 10.

Quemadmodum Graeci Apollini *Νεομηνίῳ* noua luna sacrum faciebant (de qua re u. Furtwängler Roscheri Lex. Myth. 424) ita Romani colebant Ianum Iunonium.

Macrob. I 9. 16 "(Ianum Iunonium inuocamus) quasi non solum mensis Ianuarii, sed mensium omnium ingressus tenentem; in dicione autem Iunonis sunt omnes Kalendae, unde et Varro libro quinto rerum diuinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas esse". Huius rei rationem attulit Plutarchus l. c. c. 24 "*Διὰ τί τρεῖς τοῦ μηνὸς ἀρχὰς καὶ προθεσμίας ἔχουσιν οὐ ταυτὸ διάστημα τῶν ἡμερῶν λαμβάνοντες;*" — — *ὅτι ταῖς τῆς σελήνης διαφοραῖς ὁρίζοντες τὸν χρόνον, ἑώρων ἐν τρισὶ γινομένην διαφοραῖς τὴν σελήνην κατὰ μῆνα ταις μεγίσταις· πρώτη μὲν ὅτι κρύπτεται σύνοδον ποιησαμένη πρὸς ἥλιον κτἑ.* Item Roscher lex. p. 2098 ostendit Kalendas esse solis et lunae *σύνοδον*. Ianus Iunonius ergo est Sol.

Iam satis attulisse uideor cur putandum sit Ianum primo fuisse Solem. Haec tamen de eo opinio inde a tempore satis antiquo ex animis hominum effluxit. Et quemadmodum uocabula, cum nouae significationes accesserunt praeualueruntque, loco suo ac sede ea in qua primum erant collocata, paullatim mouentur, sic Iano uidetur esse factum, ut secundaria ac specialia quaedam principalem uim obscurarent. Adde quod Ianus pariter atque alii di ueteres et romani magnam partem potestatis graeco deo cessit. Nam Apollo inde ab Hannibalis quidem bello, cum Romani praesentem eius opem expertos esse sese crederent, apud Romanos et auctoritate et dignitate magna floruit. Et Apollini *Ἥλιος*, Iano Sol, quasi alterum ac nouum numen, additus est. Sed quibuscunque causis factum est, quantam in obscuritatem numen Iani temporum decursu sit deductum indicio est multitudo interpretationum; aliter exempli caussa Plutarchus *κεφ. καταγρ. ῥωμ.* c. 41; aliter Seruius ad I. 295; VII. 607, 610; XII. 198; aliter Augustinus C. D. VII c. 8. Maxime uero hoc declarat quod Varro, homo antiquitatis romanae peritissimus, Ianum Caelum interpretatus est. Hic igitur deuenimus ad quaestionem perdifficilem. Secundum ea quae exposita sunt hanc quaestionem nunc sic ponere licet: utrum Ianus principio tantum Sol fuerit, an etiam Caelus. Si etiam Caelus, Varro cum unum id uideret, tamen opinione non omnino deceptus est.

Huic quaestioni illa coniuncta est quid significent geminae portae Iani et imago bifrons.

Bifrontis igitur Iani memoriam inde a Numae aetate repeti uidimus, Quadrifrons Faleriis Romam uenit circiter annum u. CCCCLXI. Hic Ianus origine tusca fuerit necne ambigitur; Falerios, quamquam diu fuerunt sub imperio Etruscorum, tamen non ipsos Etruscos fuisse satis apparet ex sermone. Nec uero illud est tuscae originis signum quod C. O. Mueller et Deecke secundum Varronis interpretationem dicunt Ianum Quadrifrontem significare quattuor partes mundi; quod non tam tusca quam romana erat, si Ciceroni de diuin. II § 42 credimus, diuisio templi quadripertita. Quod autem Varro posuerat bifrontem Ianum caelum bipertitum, quadrifrontem quadripertitum significare, contra id Augustinus C. D. VII. c. 8. ostendit eas diuisiones a sensibus nostris esse remotas atque adeo ficticias. Inde uix potuit mentibus hominum datum esse principium Iani numinis concipiendi. Quodsi ea fuisset Iani origo, antiquus ille deus populi romani, cui omnium rerum initia essent assignata, nihil aliud fuisset quam effigies disciplinae auguralis illius tam abstrusae tamque paucis cognitae. Quod non est ueri simile. Sed tamen aliquid ueri in ratione Varronis uidetur subesse. Nunc igitur nobis propositum est ut demonstremus Iani numen non esse ductum ex disciplina augurali, sed ea inter se tamen cohaerere, et Iani uel bifrontis uel quadrifrontis originem

repetendam esse penitus ex intimis sensibus hominum rerum naturam et acriter percipientium et interpretantium subtiliter.

De annuo circulo solis mentionem fecimus. Diurnus uero cursus solis, quem cottidie intueri uidemur, magis etiam est conspicuus. Propterea sol uigil mundi magnum uersatile templum suo lustrans lumine circum, ut ait Lucretius (IV 1434 B), ab antiquissimis Romanis appellabatur Ianus ianeus, i. e. ianitor mundi. Solis ortum aduenientis diemque numinis praesentia aperientis pariter ab antiquissimis Romanis atque ab aliis populis habitum esse sanctissimum eo intellegitur quod etiam iis temporibus quorum exstant litterae monumentaque ea hora quibusdam religionibus consecrabatur et ea potissimum uel precationibus uel auspiciis erat solennis; cuius rei exempla protulit Nissen de Templo p. 168 all. q. ll. Ortu solis Romani grauiora publica atque etiam interdum priuata negotia auguriis auspicabantur (cf. Nissen l. c. p. 171); occasu actiones publicas et priuatas intermitti fas erat. Quippe termini illi sole oriente et occidente a natura dati esse et diurnis negotiis diuinitus constituti existimabantur. Nec uero temporum atque horarum finibus ea religio continebatur, sed ad locos eos unde di dies hominibus promere, quo condere uiderentur, pariter pertinebat. Ad ortum quidem solis, mox ad occasum conuersi Romani et Galli precabantur. Quod cum in uita communi hominum magnam uim habuit et uetusto more obseruatum est ut ortus atque occasus solis respicerentur, tum disciplina auguralis ab hoc principio est profecta et in hac re maxime posita. Frontinus p. 27 "aruspices orbem terrarum in duas partes diuiserunt — ab oriente ad occasum, quod eo sol et luna spectaret, sicut quidam architecti delubra recte in occasum spectare scripserunt, quam limitem quasi primarium prorsum appellabant et decumanum, quod ex eo omnis illa discriptio denaria erat apta. Alter uero limes kardo nominatur quod directus ad kardinem caeli est: nam sine dubio caelem uertitur in septentrionali orbe". Et Idem p. 28. Priscam decumani limitis ducendi rationem tangit Hyginus p. 183 "immo contendisse feruntur ortum esse singulis regionibus unde primum sol appareat, occasum ubi nouissime desinat: hactenus dirigere mensuram laborauerunt". Quod nimirum in occasu et ortu simul determinandis seruari uix potuit; sed antiquus fuit mos — quod aliquot indiciis aedium atque urbium Nissen eo quem dixi libro firmauit — ut regiones templi a mobilibus solis ortibus, quemadmodum tempora situsque locorum ferebant, constituerentur, nullo certo aut fixo orientis limite; cf. Frontini uerba p. 31.

Fuit apud Etruscos et Romanos mundi per sedecim quoque regiones diuisio, praesertim si fulgura obseruabant, Plinius H. N. II. 54. 143 "In sedecim partes in eo spectu diuisere Tusci. prima est a septentrionibus ad aequinoctialem exortum, secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad septentriones. has iterum in quaternas diuisere partes. ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellauere dextras". *In prima regione habitabat Ianus.* Martianus Capella I. 45 "nam in sedecim discerni dicitur caelum omne regiones. in quarum prima sedes habere memorantur post ipsum Iouem di Consentes Penates Salus ac Lares Ianus Fauores Opertanei Nocturnusque". Fides huius loci confirmatur iecore aereo Placentino, ubi Ani, i. e. Ianus, primam sedem tenet (Deecke Etr. F. IV.) a septentrionibus ortus solstitiales uersus. Huius rei rationem eam quod Ianus sit mundus dat Deecke l. c. p. 27; "da ferner um seinen ewigen Ruhesitz im Norden das

ganze Himmelsgewölbe kreist, nennt ihn auch Varro "Gott des Himmels", und Macrobius "das Bild der ewigen Himmelsbewegung"". Quod cur tam graui auctori assentiri non possim causae praeter eas quas dixi sunt hae. Ianus si ipse immotus fuisset nec particeps ambitus mundi circum suum cardinem se uertentis, in ipso cardine et polo collocandus fuit. Aut, si ipse fuisset mundus, aeque ac Iuppiter sedem habuisset in omnibus mundi regionibus. Qui nec per totum caelum diffusus est, in una regione collocatus, nec in ipso cardine septentrionali, sed inter septentriones et exortus solstitiales. Etiam ex eo quod dicit ap. Macrobium Fabius, is qui consul fuit a DCXII, satis apparet Ianum totum esse sinistrarum partium atque a diris et occidentalibus regionibus remouendum atque seiungendum. Macrob. S. I. 16. 25 "Sed et Fabius Maximus Seruilianus pontifex in libro duodecimo (iuris pontificii) negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iouemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet". Principiorum deo primam regionem attribui sane consentaneum fuit, praesertim cum aliorum quoque numinum sanctitati ac beneficiis idem honor deferretur. Deorum enim sedes maxime erant a septentrionibus. Varro l. V epistolicarum quaestionum ap. Festum p. 339 M.: "A deorum sede cum in meridiem spectes ad sinistra sunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes". — Sed tamen restat illa quaestio cur prima regio ad septentriones ita fuerit ut ad exortus aestiuos et solstitiales spectaret. Hoc loco non erit alienum commemorare non modo ad ortus auspicatos Romanos, sed etiam post mediam noctem. Festus p. 348 M. *[Silentio surgere ait]* (sc. Verrius) dici ubi qui post mediam *[noctem auspi]*candi causa ex lectulo suo silens surrexit et liberatus a lecto, in solido [*se posuit*, *se*]detque ne quid eo tempore deicat ('deiciat' Farn.) *[cauens donec]* se in lectum reposuit"; et Gellius III 2. 10. Tum consentaneum fuit prorsum limitem ad templum capiendum a primo diluculo duci, ut aestate quidem non longe abesset a regione illa prima. Sed illud grauius et ad id quod quaerimus magis pertinet quod Romani diei ciuilis initium ducebant a media nocte; de qua re u. Gell. III c. 2. Sol autem cum in circulo cottidiano currere uideretur, quia mane conspiciebatur uenieus ab oriente, meridie a partibus meridialibus, uesperi ab occiduis, scilicet coniectabant homines nocte media eum esse a septentrionibus primoque mane, septentrionali polo relicto, ad orientales caeli partes transire. Ibi sita prima regio tamquam propria sedes data Iano, ut Solis deo, unde iter cottidianum instituere uidebatur. Quod autem hic posui, antiquos existimasse solis ambitum cottidianum bifariam diuidi, ut unum esset spatium diurnum ab ortu ad occasum, alterum nocturnum ab occasu ad ortum, id et per se ueri simile est et antiquorum testimoniis firmatur. Graeci quidem antiquitus putabant uulgo illud iter nocturnum esse per Oceanum. De mysteriis autem Orphicis hoc — quod fortasse sumptum est de libro Iamblichi de dis — ap. Macrobium S. I. 18. 8 memoriae proditum est: "in sacris haec religiosa arcani observatio tenetur ut Sol cum in supero, id est in diurno, hemisphaerio est, Apollo uocitetur: cum in infero, id est nocturno, Dionysus, qui est Liber pater, habeatur". Sed haec sine dubio posterioris aetatis erat doctrina. Scilicet ex his quae proxime dixi non licet colligere Graecos illum inferum solis cursum magis inclinasse ad septemtriones quam ad meridiem. Ac potius fortasse ad meridiem. Ephorus quidem apud Strabonem 34 C *κατὰ τὴν παλαιὰν περὶ τῆς Αἰθιοπίας δόξαν* Aethiopes fecit ad meridiem spectantes — cf. Strabon. p. 7 C. — quos

uisere occidentem solem credebant, uelut Aechylus ap. Strabonem p. 33 C. Sed plures Graecorum sine dubio rem in medio relinquebant, ut idem profiterentur atque ille de Odyssia (x 191): ὦ φίλοι, οὐ γὰρ ἴδμεν ὅπη ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν. Nec tamen desunt quae indicent Romanis atque Etruscis suam ac propriam de hac re fuisse opinionem. Et inferum solis spatium per septentrionales partes mundi duci, per se consentaneum fuit, quod sol uel oriens uel occidens quo serius occidit quoque maturius oritur, eo propior uidetur esse septemtrionibus. Neque enim circulos aequinoctialem solstitialem brumalem ipsos inaequales aut impares animis fingebant cum diuersitatem ortus atque occasus notarent. Nimirum hic non loquor de subtiliore doctrina eorum qui diei ac noctis uicissitudinem eo nasci putabant quod sol, cum annuum et obliquum cursum per Zodiacum conficeret, conuersione rotantis mundi sphaerae cotidie circumferretur, de qua re disseruerunt cum alii tum Strabo B p. 110 C et Plinius H. N. II 3.6 et 5.12 et Censorinus de die nat. c. 8.4 sqq. Etenim antiquissima illa disciplina de caelo obseruandi et mundum regionatim discribendi ante nata est quam Romani ceterique mediae Italiae populi eruditione atque artibus Magnae Graeciae sunt imbuti. Primo species solis ipsius itinere solitario spatia immensa caeli perlustrantis animos maxime moueret necesse erat. Notio mundi uertentis est apud omnes populos posterior. Postea uero cum Romani atque Etrusci doctrinam nouam et subtiliorem de rebus caelestibus percepissent, tamen qua erant constantia ac religione, nihil hercle mutarunt priscam disciplinam auguralem nec templi regiones mouerunt, quod esset nefas. Nam Chaldaeorum et aduenticia doctrina est de dis per duodecim sigma diuisis, quam exposuit Seruius ann. ad Verg. Georg. I 33. Et di eo loco nominati sunt Graeci omnes aut communes Romanis cum Gracis. Sed Romani uiri harum rerum periti, cum rerum ipsarum conseruarent antiquitatem, tamen si qui forte causas inuestigabant rationesque exquirebant, quaedam sine dubio alii aliter interpretabanter. Varro quidem, quod ortus atque occasus eorum quae in caelo mouerentur, conuersione mundi communi uiderentur contineri, Ianum, quippe qui ortus illos atque occasus patefaceret, nominauit mundum.

Sed ex his omnibus quae hactenus disputata sunt, hoc tantum intellegitur facile fieri potuisse ut antiquissimi Etrusci et Romani opinionem solis nocturnum iter ad septentriones inclinantis mentibus conciperent. Nunc uero reperto ad Placentiam iecore illo aereo — cuius ambages Deecke Etr. Forsch. IV mira sagacitate explicauit — certo testimonio confirmatur rem ita se habuisse. In eo enim monumento duo descripti sunt orbes: postica parte his uerbis usils (sol) et tivs (luna) indicatur alterum esse solis, alterum lunae. Solis autem orbis ibi descriptus est ab occasu brumali per septentriones ad exortum brumalem, ut expleat ambitus solaris cotidiani 244 $^1/_2{}^\circ$, reliquum spatium, quod ibi non est descriptum, inter exortum brumalem et occasum brumalem est 115 $^1/_2{}^\circ$. Romae autem, quod ostendit Deecke collata tabula astronomica a Thiele facta, quae adiecta est libro de Templo Nisseni p. 244, circulus minimus brumalis diei est 115° 46′, noctisque eodem tempore 244° 14′. Descriptus est igitur in illo monumento is orbis quem solem noctu a. d. XI Kal. Ian. ab occasu per septemtriones ad ortum percurrere Romani illi et Tusci opinabantur. Quoniam autem demonstratum est Romanos a media nocte diei initium duxisse, satis apparet quae sit ratio eius rei

quod Ianus, quasi initia dierum auspicans et a Martiano et in templo Placentino cardini septentrionali ita appositus est ut tamen esset partium orientalium.

Ne multa: nunc tandem uidemus quid sit et bifrons Ianus et Quadrifrons. Bifrontis alterum os conuersum erat ad orientem, alterum ad occidentem solem. Ouidius I Fastor. 139 "ego perspicio caelestis ianitor aulae Eoas partes Hesperiasque simul". Procopius Goth I 25. Ianum Geminum, sic describit: *τὸ ἄγαλμα — τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἐμφερὲς ἀνθρώπῳ, διπρόσωπον δὲ τὴν κεφαλὴν ἔχον καὶ τοῦ προσώπου θάτερον μὲν, πρὸς ἀνίσχοντα, τὸ δὲ ἕτερον πρὸς δύοντα ἥλιον τέθραπται. θύραι δὲ χαλχαῖ ἐφ' ἑκατέρῳ προσώπῳ εἰσίν.* Quadrifrons autem spectabat ad mundi partes quattuor. Gauius Bassus ap. Macrob. I 9. 13 dicit Ianum "quadriformen quasi uniuersa climata maiestate complexum". Quamobrem cum Ianus Geminus constaret et ex signo bicipiti et ex geminis portis, capita significarunt alterum orientem solem uel initium dici, alterum occidentem uel initium noctis. De portis inter se cohaerent rationes Nigidii Figuli et Gauii Bassi et Labeonis, de quibus iam dictum est, quae hac disputatione nostra confirmantur. Quadrifrons quia nihil est aliud quam bifrons bipertitus uel potius quasi conduplicatus, unum caput significat solem matutinum ab ortu, alterum meridialem a meridie, tertium uespertinum ab occasu, quartum uero caput solem de media nocte ante diluculum regiones caeli ad septentriones peragrantem.

Nunc denique, quoniam Ianum solem primo habitum esse demonstrauimus, confirmatur quod initio posuimus primum illum uersum: "O Zaul adoriese omnia" arte cohaerere cum proximo: "uerom ad patla cŏĕmis es Ianeus, Ianes". Ergo perspicitur Sol Saliis idem fuisse ac Ianus.

Sed tamen Augustinus, auctore, ut videtur, Varrone, Solem distinguit a Iano. Augustinus de Ciu. Dei IV 23 p. 173 Domb. "Ut quid ergo constituit (ipse Romulus) Romanis deos Ianum Iouem Martem Picum Faunum Tiberinum Herculem et siquos alios? Ut quid Titus Tatius addidit Saturnum Opem Solem Lunam Vulcanum Lucem, et quoscunque alios addidit, inter quos etiam Cluacinam". Aut igitur duo fuerunt Romanis Solis numina, aut idem Sol Sabinis qui Romanis Ianus; ut qui Romanis Mars is Sabinis Quirinus, quae Iuno et Diana eadem Luna. Quod de Tatio l. q. d. Augustinus, idem Varro L. L. V 74 paullo aliter, ubi sic F: uouit Opi Floreue. dioioiui Saturnoque Soli Lunae Volcano et Summano, itemque Larundae Termino Quirino Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque. Hi uersus Enniani sic possunt restitui:

Vouit Opi Floraï Vēdi͡oui Saturnoque
Volcano Soli Lunae*que Cluacinaeque*
Summano Larundae Termino itemque Quirino
Vortumno Laribus Dianae Lucinaeque.

Haupt Herm. I. 401 = Opusc. III 356 non satis probabiliter primum uersum sic legit: "Vouit Opi Florae Vĕdio Ioui Saturnoque". Per synizesin 'Vedi͡oui', a tali enim uoce et ita contracta posteriorum natus est 'Veiouis'. 'Lārunda' ut Auson. Edyll. 12 de dis 9 "Nec Genius domuum Lārunda progenitus Lar". Addito 'Cluacinaeque' lacerum uersum resarciui, propterea quod Varro ipse, ut uid., ap. Augustinum l. q. d. auctor est illam deam fuisse inter

ea numina quibus Tatius Romae sacra arasque uoueret. — C. O. Mueller Etr. II 64 et Th. Mommsen Unt Dial. 351 dicunt duodecim deos illos fuisse quibus a Tatio arae dicatae sint. Quod eo minus ratio cogit quod non modo non uniuersi sed ne plures quidem singuli sunt iidem qui di Consentes Tuscorum.

Antiquum Solis templum fuit ad Quirini, qui ipse Sabinus fuerat deus. Nisi de Palatinis atque Collinis Saliis memoria esset obscura et magis perturbata quam ut quidquam certi de iis coniectes, suspicarer in iis quas edidi uersuum Ianulorum reliquiis traditam utriusque collegii famam inesse.

Postea paulatim latinus Sol et graecus Ἥλιος confusi sunt.

Cum Iani iubari uetustas offudisset nebulam, tamen initiorum mansit deus, siue quis annum aut diem caerimoniis auspicabatur siue deorum opem implorabat; custodia mundi circumscripta est his duobus officiis, quae tueri eum populi romani et hominum romanorum maxime intererat, ut custos esset belli pacisque atque ut precibus uiam ad deos aperiret. Hanc enim utramque de eo famam etiam principum dominatu obtinuisse testes sunt illorum temporum scriptores.

Excursus II.

An credendum sit Macrobio Ianum in carmine Saliari dici: "deum deorum".

Quod est apud Macrobium S. I. 9. 14 Ianus – Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur et § 16 (Ianum) patrem (inuocamus) quasi deum deorum, id cum illo uersu Saliari "† diuum † deo †supplicante" ita comparari solet ut ad lectionem et interpretationem eius uersus multum pertinere uideatur. Nos autem sic statuimus: hoc Macrobi si refertur ad uersum illum Saliarem, quod nobis quoque ueri simile uideri p. 5. significauimus, in errore positum esse et legendi et interpretandi. — Ut igitur ab lectione ordiamur, uerba ipsa, siue 'deum deorum' siue 'deum deo' siue, quod libris Varronianis traditum est, 'diuum deo' legas, recentiora sunt quam ut in carmine Saliari uerum locum habere possint. Quod enim dicit Varro ap. Seruium ad Verg. Aen. XII 139 antiquos non dixisse deos, sed diuos: "Ita respondeant cur dicant deos cum omnes antiqui dixirint diuos", id maxime comprobant antiquissima quaeque titulorum monumenta. Scilicet Varro deiuos deuos diuosque una uoce comprehendit; quod iure fecerit necne nihil attinet hoc loco quaerere. Tituli V et VI saeculo scripti habent haec: deiuos tit. "Dueni", deiua CIL I 175, deiuis dat. plur. I. 178, deuas dat. pl. f. I 1814; harum igitur stirpes deiu- deu-; illae autem formae di- de- exstiterunt VII demum et VIII saeculis: dio C. I. L. I. 1426(?), dea I 1174, deae gen. 1279, dat. 1179. — At enim fortasse primo sic fuit: diuom diuo. At cur diuo ea significatione in carmine Saliari poni non facile potuerit, p. 31 dictum est. Ac ne Deeckio quidem assentior quod dicit E. F. IV 26 et 33 Ianum a Saliis hic dici "dīuom dīum", ut ab Arualibus Deam Dīam, nec legere licet deiuom deiuo; haec enim omnia, et dīuom dīum et deiuom deiuo et dīuom dīuo metri causa reicienda sunt, quod metrum Satunium abhorret a tali uersu:

Díuom dìum súpplicátè.

quem quinquies feriri oportet, cum cetera cola Saturnia carminis Saliaris nullo negotio, ut reliqua cola Saturnia, quater feriantur ad hanc formam: malúm dabùnt Metéllì, quod quoniam ultimus in ultima syllaba ictus semper est, ut non opus sit eum signari, supra sic scripsi: deiuóm deoûs súpplicáte. Et haec quidem de uerbis.

Iam uideamus sententia num vera sit aut ea quae in carmine Saliari esse potuerit. Atque non disputo iurene dixerit Iordan Beitr. p. 222, deum deo in carmine Saliari ita dictum esse ut Homeri illud *δῖα θεάων*. Quod cui probet? Id enim ab Homero ita dictum ut *θεάων* genitiuo esset casu partitionis imitatus Ennius non romana usus est sed graeca structura, quod quid sibi uellet Romanorum eruditiores ex comparatione Homeri intellegerent; in Saliari carmine ex omni parte Romano ea constructio esse uix potuit. Cf. Schmalz, Synt. lat. Iw. M. Ant. II p. 283 ann. 3.

Nec quaero num quasi maximus uel antiquissimus 'deus deorum' honoris causa dictus sit. Velut ignotus poeta qui Ouidium imitatus est ep. VIII 45 'dux erat ille ducum'. Quid igitur? Quemadmodum Iulius Florus perinde ac si esset homo Iudaeus, dixit I. 22. 35 "saeuitum in urbes urbemque urbium Caralim", sic Saliorum quoque antiquissimis carminibus 'deorum deus' canitur? Sed huius rei exempla posterioris latinitatis sunt, nullum antiquius Cicerone. V. de hoc genere copiosam ac subtilem Hauptii disputationem Op. II. 154 sqq.

Quodsi proprie dicitur ille 'deus deorum' de Saturnalibus Macrobii quasi potestate diuina ceteros deos regens, nihilo minus alienus est a carminis Saliaris aetate. Multo minus Ianus sic dici potuit. Ac ne illud quidem quod Ianus antiquissimus deorum dicitur a Iuuenale VI 393 et ab Herodiano I 161 *θεὸς ἀρχαιότατος τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριος* quidquam ualet ad confirmandum id quod posuit Preller Myth.[3] I p. 171 Ianum 'deorum deum' esse dictum quasi omnium rerum principem auctoremque. Praetereo temporum rationem quod antiquiorum aetatum non sunt ei scriptores qui Ianum dicunt deorum antiquissimum. Mitto illud Varronis quod teste Tertulliano ad Nat. II 12. "Varro antiquissimos deos Iouem Iunonem et Mineruam refert"; nam magis tuscam quam romanam disciplinam sapit. Sed ut posteriores quidam antiquissimum Ianum dicerent per errorem facilem factum est. Nam Ianum antiquissimum regem Latii fuisse ideo, credo, fama ferebat, quod asses eius imagine antiquitus signabantur et eius in urbe exstabat antiquissimum signum cum sacello. Accedebat quod cum penes eum primordia rerum atque etiam procreationis humanae esse dicerentur (cf. p. 45) non dignitate, sed ordine locoque erat primus: primus inuocabatur, primo ei sacra fiebant (cf. p. 45), primus a Varrone inter deos selectos nominatur ap. Aug. C. D. VII. 2. Denique ab introitu initium, ab initio prima quaeque Iani dicebantur. Eundem locum eius flamen obtinebat in flaminum accubitionibus Festus p. 185, nec tamen ideo flaminem Dialem dignitate superabat, nedum maior esset pontifice maximo, qui extremus accubabat. Sed haec hactenus.

Iouem uero et Graeci et Romani inde ab omni tempore habuerunt pro principe et summo omnium deorum hominumque. Et Romanorum quidem antiquorum opinio exprimitur a Varrone sic ap. Aug. VII 9 p. 285 D: Sed cur Ioui praeponitur Ianus? "Quoniam penes Ianum", inquit, "sunt prima, penes Iouem summa. Merito ergo rex omnium Iuppiter habetur. Prima enim uincuntur a summis, quia, licet praecedant tempore, summa superant dignitate". Et Seneca Nat. Quaest. II 45 "(Prisci Romani) eundem quem nos Iouem intellegunt, rectorem custodemque uniuersi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem". Itaque Iuppiter ab Ennio dictus 179 V. "diuum pater atque hominum rex". Et Plautus prol. Rud. 9 "quist imperator diuom

atque hominum, Iuppiter", Proximos Ioui honores apud antiquissimos Romanos non Ianus occupauit, sed, quod monet Mommsen Hist. Rom[7]. I 163 sq., Mars. Nec tamen quod Mommsen dicit l. c. p. 164 Martem caerimoniis sacrisque magis a priscis cultum esse quam Iouem, fama aut memoria originum romanarum comprobatur. Martius enim mensis cur primus fuerit p. 47 dictum est. Quod si quid dignitatis Marti ordine pristino mensuum accessit, id habuit ante Ianum, quod ostendit Plutarchus Num. c. 19 *ὁ δὲ πρῶτος Ἰανουάριος ἀπὸ τοῦ Ἰανοῦ. Δοκεῖ δέ μοι τὸν Μάρτιον ὁ Νομᾶς (?) ἐπώνυμον ὄντα τοῦ Ἄρεως ἐκ τῆς προεδρίας μεταστῆσαι* (De "Numa" id non uere dicere Plutarchum non est quod moneam). — Iouem uero unum a Romulo inuocatum in summo discrimine fama est Liu. I 10. 6; 12. 4; Iouis iussum auibus Romam condidisse se Romulus dicens inducitur ab Liuio l. q. proxime dixi; Numa Ioui assiduum sacerdotem eam ob causam creauisse dicitur ne sacra regiae uicis desererentur, Liu. I 20. 2. Ioui primum omnium templum Romae sacratum est, teste Liuio I 10. 7. Quae cum ita sint, non arbitror assentiendum esse Mommseno l. c. p. 167, cum templum Capitolinum quod fama est Tarquinium Superbum aedificasse uel potius aedificare coepisse perfectum esset urbsque moenibus cincta amplioribus quasi denuo condita, tum denique Ioui principatum inter deos esse delatum. Eum enim principatum Iuppiter optimus maximus, genius populi Romani idemque, ut apud Graceos, mundi regnator, inde ab antiquissimis temporibus obtinuit. Itemque in aliis Italorum populis. Umbri quidem Iguuini Iouem, ut arcis ciuitatisque praesidem, maxime uenerabantur et non uno nomine inuocabant. De eadem Oscorum opinione tradita testimonium est Diúveí Regatureí tab. Agn. Quemadmodum graecis *Ζεύς* est *θεός* uel *ὁ θεός*, et dicebant *Ζεὺς καὶ θεοὶ ἄλλοι*, ita ab Romanis dicebantur Iupiter ceterique di, Preller Mythol. Graec. [1]I. 1. 108. Et Arnobius III adu. Nat, 6. p. 115 Reiff. — "modo discamus quinam isti siut diuini — quos par sit adiungi summi regis ac principis uenerationi. Saturnus, inquit, et Ianus et Minerua Iuno Apollo Venus Triptolemus Hercules atque alii ceteri". Quamobrem tametsi nec monumentis nec fama nec historia comprobatur id quod dicit Doellinger, Iudenthum u. Heidenthum p. 469. § 21 in mentibus antiquorum Romanorum fuisse speciem adumbratam dei unius et ad omnia pertinentis *), tamen Iouis omnia plena uulgo putabant. Quamquam non putandum est uulgus illis temporibus Iouem talem animis finxisse qualem dixit Valerius Soranus ap. Aug. C. D. VII 9. "Iuppiter omnipotens", inquit, "regum rerumque deumque Progenitor genetrixque deum, deus unus et omnes".

Postea autem principum dominatu cum religiones iudaeorum et christianorum et philosophorum inuenta multum ualuissent ad speciem dei unius et omnipotentis mentibus hominum imprimendam, tum nomen illud "deo deorum" inditum est Ioui. Bello quidem M. Aureli germanico milites Ioui hoc nomine acclamarunt. Tertullianus ad Scapulam c. 4. 703 M. "Marcus quoque Aurelius in germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad deum factis, imbres in siti illa impetrauit. — Tunc et populus, acclamans Deo deorum qui solus potens, in Iouis nomine deo nostro testi-

*) Doellinger l. c.: "einerseits geht ein monotheistischer Zug durch die Römische Religion; an ihrem verhüllten Anfange muss ein einziger namenloser Gott gestanden haben, der in der Folge in den Iupiter Optimus Maximus überging".

monium reddidit". Cf. uerba Tertulliani l. c. c. 2. 699 M. "Nos unum deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cuius fulgura et tonitrua contremiscitis, ad cuius beneficia gaudetis. Ceteros et ipsos (sic lego: 'et ipsi' Migne) putatis deos esse, quos nos daemonas scimus".

His igitur quae nunc disputata sunt efficitur primum, illum "deum deorum" Macrobii non satis conuenire cum antiquorum romanorum de dis notionibus, deinde, si dici potuisset, non Ianum, sed Iouem dici debuisse.

Restat ut quaeramus quae Macrobio uel potius eius auctoribus causae et initia fuerint Ianum ita interpretandi. Quod ut perspiciatur plane, res nobis est repetenda altius.

Iani uis ac potestas quo magis erat obscuritate inuoluta eo magis commentis physicorum locum dedit. Itaque quem penes esse dicerentur primordia uitae humanae concipiendae rerumque agendarum initia, eum ceterarum quoque rerum auctorem fecerunt posteriorum argutiae. Et huius rei gradus quidam atque incrementa cernuntur. Nam quod Hesiodus dicit Theog. 116 ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος, id arreptum Ciceroniana aetate et post eam physici Romani ad Ianum, ut principiorum deum transtulerunt, ut idem diceretur atque χάος. Verrius Flaccus ap. Paulum Festi p. 52 "Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque in profundum — — Unde Ianus detracta aspiratione ideo quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabant ueluti parenti, et a quo rerum omnium putabant initium". Verrio igitur nondum fuit Ianus ille "rerum sator", quem postea eum dixerunt non modo philosophi, sed etiam poetae. Martialis X 28. 1. Serenus ap. Ter. Maur. p. 382 K 1893 "Iane pater, Iane tuens, diue biceps biformis, o cate rerum sator, o principium deorum". Ac ne Varro quidem eius doctrinae auctor nominandus. Is cum multa non modo ad Cleanthis lucernam, sed etiam ad Zenonis et Chrysippi lucubrauit, tum fabricatorem mundi et rectorem et quasi animum dixit Iouem, qui primam illam molem ex quattuor elementis constructam et compactam impleat et moueat, quam molem Ianum Ouidius — incertum utrum Varrone an Verrio, homine aequali, auctore — nominat. Ouidius I Fast. 103 sqq. Ianum sic disserentem inducit: "me Chaos antiqui — nam sum res prisca — uocabant: aspice quam longi temporis acta canam, lucidus hic aer et, quae tria corpora restant, ignis aquae tellus, unus aceruus erat, ut semel haec rerum secessit lite suarum inque nouas abiit massa soluta domos: flamma petit altum, propior locus aëra cepit, sederunt medio terra fretumque solo, tunc ego qui fueram globus et sine imagine moles, in faciem redii dignaque membra deo". Cf. schol. ad Hesiod. Theog. 116. 477 (p. 220 Flach) ἡ οὖν εἰς τὰ στοιχεῖα διάκρισις καὶ διαχώρησις, χάος. Varro non modo primordia mundi, sed quodammodo mundum ipsum Iani nomine comprehendit ap. Aug. C. D, VII. 7, sed uim effectricem causasque eorum quae fierent in mundo Ioui tribuit, Aug. C. D. VII. 9. Vergilius hanc doctrinam secutus Iouem dicit per omnia pertinere. Verg. Georg. IV 221 "deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris caelumque profundum". Cf. Aug. C. D. IV c. 11. Quem autem primum illud de Iano rerum satore abstrusum nec tam in persona certa dei quam in notione infinita principii locatum docuisse, in litteris memoria exstat, is fuit M. Messalla augur, is qui consul fuit a. DCCI. Hic, teste Macrobio I. 9. 14, de Iano ita incipit: "qui cuncta fingit eademque regit, aquae terraeque uim ac naturam grauem atque

pronam in profundum dilabentem, ignis atque animae leuem in immensum sublime fugientem copulauit circumdato caelo: quae uis caeli maxima duas uires dispares colligauit". In his cum alia philosophorum inuenta tum stoica quaedam secutus est. Stoicum quod dicit de elementorum discidio; de quo Zeno schol. Hes. Theog. 115 (475) *γῆ κατὰ συνίζησιν, ἀὴρ κατὰ ἀνάδοσιν, τὸ δὲ λεπτομερὲς τοῦ ἀέρος γέγονε πῦρ.* Cum autem Ianum noua ratione faceret haec discreta ordinataque caeli orbe continentem, ad Ianum transtulit id quod de Sole caelum circumfundente terris tradiderat Chrysippus in physicis ap. Diog. Laert. VII 81. 152 *τῆς δὲ γενέσεως αὐτῶν* (id est, *τῶν ἐν ἀέρι γινομένων*) *αἴτιον γίνεσθαι τὸν ἥλιον ἐξατμίζοντα τὰ νέφη.* Quod quomodo factum sit exponitur scholio ad Hes. Theog. 119 *λέγει* (Hesiodus Tartara) *τὸν ἀέρα τὸν τὴν γὴν περιέχοντα καὶ τὸ περὶ αὐτήν. εἶναι δὲ εἰκὸς τοῦτον ἐξ ἐλάσσονος ὑγροῦ εἰς πλείονα ὄγκον διαχεόμενον καὶ ἀτμιζόμενον τεταράχθαι, μέχρι ἂν λάβῃ τὸν ἥλιον. τότε γὰρ τῷ ἡλίῳ συμπαρεκτείνεται, ὥσπερ τῷ πυρακτωθέντι σιδήρῳ τὸ πῦρ.* Et quod Ianus a Messalla, quasi *νοῦς δημιουργός*, omnia fingere et regere dicitur, hoc ipsum nescio an de Iano, ut solis deo, dixerit. Solem a Cleanthe habitum esse mundi principalem auctores sunt Anon. Ps.-Censorinus p. 76. 1 Jahn et Diog. Laertius VII 139. Similiter Cicero de R. P. VI § 17 "Sol, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio". Et Plinius N. H. II 6. 13 "eorum (i. e. siderum) medius sol fertur amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum caelique rector. Hunc esse mundi totius animum ac planius mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decet opera eius aestimantem". Quid? artifices et poetae nonne Soli gubernacula mundi detulerunt? Est in museo Neap. imago Solis orbem caeli tenentis, Rapp Mythol. Roscheri p. 2024. Ouidius Metam. I 769 "hoc, qui temperat orbem, Sole". Ad hoc solis munus spectat graecus ille ritus, cuius mentionem facit Athenaeus XV p. 693 *E παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν οἱ θύοντες τῷ Ἡλίῳ, ὡς φησι Φύλαρχος ἐν τῇ ιβ' τῶν ἱστοριῶν, μέλι σπένδουσιν, οἶνον οὐ φέροντες τοῖς βωμοῖς, δεῖν λέγοντες τὸν τὰ ὅλα συνέχοντα καὶ διακρατοῦντα θεὸν καὶ ἀεὶ περιπολεύοντα τὸν κόσμον ἀλλότριον εἶναι μέθης.* In transcursu commemoro Indos quoque uetustissimos Solem fecisse terras et caeli orbem continentem. R. Ved. X 149 "Sauitar terram uinculis constrictam firmiter continuit, firmiter caelum in mundo vasto sine fulcris (askambhané). Apud posteriores Romanos uel externae religiones uel doctrina quorundam philosophorum tantum ualuit ut essent qui Solem putarent esse Iouem, ut Iuppiter Optimus Sol inscr. 97 Wilmanns, uel regem omnium, ut Dominus Sol 271 W. Anthol. 387 R haec scripta sunt in laudem Solis u. 41 sq.: "Sol facies mundi caelique uolubile templum — Sol Liber, Sol alma Ceres, Sol Iuppiter ipse".

Etiam Plutarchus, homo Platonicus, *Ῥωμαικ.* c. 19 p. 92 W solem appellat *τὸν κύριον καὶ ἡγεμόνα τῆς ῥευστῆς οὐσίας ἁπάσης.* Et is Platonicus cuius doctrinam Macrobii auctor secutus est ipse testatur se Ianum et Solem eundem putare ap. Macrob. S. I. 17. 42 "Sol umoribus exsiccatis ad progenerandum omnibus praebuit causam, ut ait Orpheus

πατρὸς ἔχοντα νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν

unde nos quoque Ianum patrem uocamus, solem sub hac appellatione uenerantes.

Nunc igitur tandem peruenimus ad eum locum unde dispiciamus rationem eius quod quaeritur.

Nam Macrobius cum S. I. c. 17—23 tum ea quae de Iano S. I. 9 §§ 1—16 tradidit, quod demonstrauit Wissowa de Macrob. Saturn. fontibus p. 43, librum aliquem transscripsit quem qui scripserat auctorem secutus erat philosophum platonicum, ut Augustinus Confess. VIII c. 3 memoriae prodidit Marium Victorinum libros platonicos in latinum transtulisse, et temporis ratione ueri simile est eum auctorem fuisse Iamblichum, qui librum περὶ θεῶν scripsit, quem autem Macrobius transscripserit, eum docet Wissowa fuisse Cornelium Labeonem, quem Arnobium de quibusdam habuisse auctorem demonstrauit Kettner de Cornelio Labeone p. 14 sqq. . Certe quisquis ille platonicum de dis librum latine retractauit uertitque latine, homo fuit, ut uere dicit Wissowa p. 28, argutiis theologicis imbutus omnibusque neoplatonicorum, quos uocant, et Etruscorum arcanis doctrinis deditus, sed ita ut a solidiore doctrina videatur abhorruisse. Quod autem Macrobii auctor Ianum deum deorum interpretatur, id conuenit atque congruit cum doctrina et aliorum qui tum erant Platonicorum et Iamblichi qui, ut docet Zeller die Philosophie der Griechen III. 2. p. 696 sq., innumerabilem multitudinem deorum Solis qui idem Caelus esset, summae diuinitati subiecit, Solemque illum superiorem, cuius imago esset hic sol quem uideremus, eundem esse dixit atque Iouem et Serapim; eamque doctrinam, de Iamblichi libro περὶ θεῶν sumptam, multis uerbis oratione IV 132 sqq. Iulianus exposuit. Ei autem rationi nemo hercle Romanorum deorum aptior fuit Iano, qui cum propria potestate Sol esset, idem, sententia Varronis quidem, tam grauis auctoris, mundum numine complecteretur. Qua re Ianus Platonico illi "deus deorum" factus est idemque Iuppiter.

Addenda.

Ad p. 22. Cur cŏsmis(-ĕs) casmillus Căsmena fiant cŏmes camillus Cămena, et porro *quosme quōme, dusmos dūmus, resmos rēmos, causa, nisi in disparibus sita est praecedentium uocalium quantitatibus, uidetur ea fuisse quod mediae uoces aliae aliter per syllabas diuidebantur pronuntiando: itaque *rĕs-mos rē'-mos, rēmos* c: *Că-smena Că-'mēna, Cămena.* Est forma huius generis, de quo disputatio mea in act. soc. phil. Lundensis hoc anno edetur. Similiter in uerborum intercapedine s prima alterius uerbi habetur nullius instar momenti ad quantitatem. Lucretius IV de R. N. 846 molliă strata; VI 943 mentibŭs stillant; Ouidius II 6. 61 hebetarĕ smaragdos. De eo genere exponit L. Mueller DRM p. 317 sqq. Hoc uero prisca uoce pertinuit etiam ad quaedam interiora. Plautus in Persa 76 "ubi sint magĭ-stratus quós curare opórteat". Idem in Aul. 71 "nĕ-sció pol quae hóminem intemperiaé tenent". Ab *obs-tendendo ŏ-stenderem dixit Terentius Phorm. 793.

Ad p. 20. De re metrica cum ceterorum Saturniorum tum Saliarium post paullo disputabo. Hic igitur hoc tantum affirmo, quod nemo non uidet, eos quos edidi Saturnios ad recitandum esse faciles et factos legibus communibus metri Saturnii. Nam esse etiam Saturnios sine anacrusi, commentatione ea quam dixi multis exemplis demonstrabo. Quod si cui uideatur Ia. 2. Verom ád pătlă cŏĕmís es || Iánĕús Iánes paullo difficilior ad recitandum, exempli causa ad comparationem affero hos simillimos, alterum Naeui de bello Poenico ap. Priscianum I 234 K Magnám domúm dĕcŏrémque || dítem uéxárant; alterum de sepulcro Caecilii C. I. L. I 1006 Hocést factúm mŏnŭméntum || Márco Cáicílio. Prius hemistichium priori hemistichio huic de tabula Regilli ap. Caes. Bassum p. 10. 13 K pariter et aequaliter respondet: duelló magnó dĭrĭméndo ||.

Ad p. 20, patula — patla. Cf. C. I. L. I 1431, cuius tituli est uersus sic scriptus: "cum diu ambulareis tamen hoc ueniundumst tibi", sic recitandus: cum dĭŭ *amblareis,* támen hoc veniundúmst tibi".

Ad p. 32 sq., cante. Cf. etiam ea huius generis exempla quae attulit Hauet MSL IV 231.

Indices.

I. Index uerborum Saliarium.

Asterisco signantur ea uocabula quae scriptura posteriore quam carmen Saliare est libris sunt tradita. Ia = uersus Ianuli; Io = u. Iouii; Ma = u. Martii; Iu = u. Iunonii; I. s. = incertae sedis.

Ad Ia. 2.
adoriese Ia. 1; p. 19 sq.
agnas I. s.; p. 11:
Alesus Seru. Dan. ad Aen. VIII 285.
?*asenam* Varro L. L. VII 26.
(*axamenta* Palus Festi 3.)
cante Io. a. 1; p. 32 sqq.
?*capides* Glossae nom. ed. Loewe p. 137. *Capides* ex ciect. Loewii: *cardens* Val. 3321, cf. *candes* all. gloss. Loewe prodr. 72.
caro Varro L. L. V 110.
cerus Ia. 3 (duonus); Io. c. (manus); p. 25.
**coemis* Ia. 2.; p. 21 sqq.
conctom Io. b 3.
deiuom Io. a 2; *deiueis* Io. b 2; p. 31.
Diouem Io. a 1.
Diuom (= caelum) Io. a 1; p. 29 sq.
(*dīus:*) *deous* gen. sg. Io. a 2; p. 5 et 31; *diūs* acc. pl. Ia. 4; p. 28.
duonus (bis) Ia. 3.
enum Ia. 4; p. 29.
es Ia. 2.
?*f[o]edesum* Varro L. L. VII 26.
hemuneis Io. b 2; p. 7.
**impennatas* I. s.; p. 11.
insecta Varro L. L. VII 110.
?*ianituos* Varro VII 27 (*'ianituos'* scripsi, dictus est enim ita quasi ianum tuens, cf. aedituos: *ianitos* F).
ianeus Ia. 3.; p. 25.
Ianes Ia. 2.; p. 25.
Ianus Ia. 3. p. 40 sqq.
(*Ianuli* et *Iunonii* Paulus Festi p. 3).
Leucesie Io. b 1; p. 35.
Lucia Iu.; p. 10.
Mamurie Ma. b.; p. 9.
mānus Io. 3; p. 8.
?*manuos* Fest. 146 et (?) *manues* Paul. Fest 147.
mare Io. b. 3.
meliosem Varro VII 26.
(*Meneruii [Min.* II.] Paull. F. p. 3.)
o Ia. 1.
omnia Ia. 3.
?*oltro* (oultro) Fest. 205; p. 6.
?*pa* Fest. 205.
patla (patula) Ia. 2; p. 20 sq.
**pennatas* I. s.; p. 11.
perfines, pescia, pesnis, petilam Fest. 205.
**pilumnoe* Ma. a.; p. 37 sq.
**plisima* (= pleisima, cf. scand. fleiri) Fest. 205.
?*po* Fest. 205.
polet Fest. 205.
potem Io. 1.; p. 32.
**poploe* Ma. a; p. 37 sq.
**praeceptat* Fest. 205.
?*praedotiont* Fest. 205 ('praedopiont' C. O. Mueller).

praitremonte Io. 2.; p. 36 sqq.
**priuicloes* Fest. 205; — ? *pro* (oltro) p. 6.
prome Ia. 4.
promeneruat Fest. 205.
promerios Ia. 4; p. 27.
prospices Fest. 205.
quōme Io. b 1; p. 34 sq.
?*quotquot* Io. b. 2; p. 6; — ? *reconde* Ia. 4; p. 3.
**Saeturnus* Fest. 325 ('Sateurnus' cod. Farn.); p. 42.
**supplicate* Io. a 2; p. 34.
ted Io. a 2.
tonas Io. b 1.
?*ubeique* Io. b. 2; p. 6 sq.
uero(m) gen. pl. (= portarum) Ia. 2.; p. 20.
Veturie Ma. b.; p. 9.
ueueis Ia. 4.; p. 19 sq.
Volumna Iu.; p. 10 sq.
Zaul Ia. 1; p. 16 sqq.

II. Index emendationum et rei criticae.

Catullus 57. 6, 7; p. 24.
Festus p. 70 s. u. † depuuere; p. 17.
„ „ 205. 19 M.; p. 1 sq.
„ „ „ 15 M.; p. 6 († polteo).
„ „ „ „ „; p. 8 sq. et p. 37 sq. (pil. poploe).
„ p. 211 M. s. u. pennatas; p. 11.
„ „ 348 M. s. u. silentio surgere; p. 50.
Paulus Festi p. 3. s. u. axamenta; p. 14.
„ „ p. 91 s. u. † obpuniat; p. 17.
Glossarium Hildebrandi p. 175; p. 24.
„ "Isidori" p. 676 n. 50; p. 31.
Naeuius ap. Priscian. VI. 232. 5 H.; p. 33.
Plautus Poen. 1199; p. 28.
Priscianus I. 39. 10 K.; p. 19.
Terentius Scaurus p. 28 K. p. 4 et 6 sq.
Tertullianus Apol. p. 436 M.; p. 25.
„ ad Nat. II c. 15 p. 606 M.; p. 43.
„ ad Scap. c. 2 p. 699 M.; p. 57.
"Tit. Dueni" 19. 1 Schneider; p. 24.
„ 19. 3 Schn.; p. 29.
Varro R. R. I 36. 3; p. 43.
Varro L. L. V 74; p. 52.
„ „ VI 49; p. 8.
„ „ VII 21; p. 7.
„ „ „ 26; p. 1 sqq.
„ „ „ 27; p. 61 († ianitos).
„ „ „ 27; p. 4 et 5 sqq.
„ „ „ 28; p. 14.
„ „ IX 60; p. 9. sqq.

III. Index Rerum.

Axamenta p. 14.
Carmen Saliare p. 14 sq.
Etymologia (u. etiam Ind. I.).
Aurelius, Arellius p. 18.
Carna p. 44. — clodus claudus p. 17. — *coguemis cōmis 21 sqq. — cŏ-smĭ(t)s cŏmĕs 22 et 24 (60). — deiuos et dīuos p. 31. — Dīuos = Juppiter p. 29 sq. — Dīos = Juppiter 30. — Dĭus = Juppiter 30. — dialis et diualis 30 sq. — *diou dīū et dīūs 28. — enim (inem) 29. — *ianeios ianeus 25. — Ianus, ianus 42—44. — iam 43. — mālo p. 23. — pennae et pinnae 11. — quome, quom 34 sqq. — Saeturnus Saturnus 42. — saul, sol 16 sqq. — -esio 35. — sumo p. 33. — supplico p. 34.
Declinatio.
1. D. nominum.
dat. sg. secundae declinationis -ōī, -ōē 37 sqq.
gen. sg. quartae decl. -ous -ūs; -uos -uus; *-ues -uis 31 sq.
2. D. uerborum.

thema praesentium IV. coniug. (ĭe -ĭo et) -īe -īo 19 sq.
2 p. sg. imp. pass. *-so -se 19.
3 p. pl. praes. act. (-ĭ) -ĕ 36.

Metrica.

synizesis p. 35. — percussionum numerus 54. — theses solutae 60.

Mythologia.

"Deorum deus" p. 54 sqq.
Ianus. Ianus Sol. 39 sqq.
Ianus romanus deus p. 40. — quatenus annus putandus sit. 46 sqq. — Ianus et ianus 40—44. — Ianus initiator 53—55. — Ianus in prima templi regione collocatus 49 sqq. — postremo cum Iove confusus 58. — Ianus Geminus 41 sq., 51 sq. — I. Quirinus 41, 53. — Patulcius et Clusiuius p. 21. — — Matutinus 44. — ianeus 45. — Consiuius 45. — Patricius 46. — Iunonius 47. — Quadrifrons 48, 52. — "rerum sator" 57. — "Chaos" 57.
Iana 43.
Iuppiter 55 sqq. I. Cerus manus = I. Liber 7.
Iuno Lucia 10. I. Volumna 10 sq.
Penates 14 sq.
Robigus 11.
Sol. Philosophorum de Sole commenta 58. S. Genius 45, 46.
Geminata deorum nomina 29.
Scripturae priscae uarietates.
-s finalis tum scripta tum omissa 2 sq., 5.
au et o et ou = åu 16 sqq.
-us et -os promiscue 4.
ō et ū p. 7. — ō et ou 6. — ĕ et ī 25 sqq.
Syntaxis prisci sermonis.
praepositio inter attributum et substantiuum media 20 sq.
accusatiuus pro datiuo 34.
copula enuntiati secundarii omissa 37.
Voces mutatae.
cŏm- cŏn- cŏ- 21*), 22 sqq.
consonantes detritae ut praecedentes uocales non producantur: -s- 22; 60; -n- 22; -g- 23; -v- 23.
elisae vocales sequente aut praecedente nasali 32 sqq. 60.
productio secundaria sequentibus g et n 23.
„ „ „ h et i consonanti 23.
eu > ou > ū; ōu > ō 16.

Corrigenda.

P.	2	uers.	10	a superiore margine		*Saturnuus,*	lege:	*Saturnus*
»	»	»	6	ab inferiore margine		*ubis*	»	*ubi*
»	3	»	17	»	»	*carmissis,*	»	*carminis*
»	8	»	6	»	»	*ὠδῆς,*	»	*ὠδῆς*
»	»	»	13	»	»	*posituit,*	»	*potuit*
»	»	»	16	»	»	*Viturie,*	»	*Veturie*
»	10	»	12	»	»	*cognata*	»	*coniuncta atque cognata*
»	11	»	11	»	»	*ἄχνη,*	»	*ἄχνη*
»	21	»	6	»	»	uerba illa "couenumis — I. 532" ad exitum superioris uersus transponenda sunt.		
»	22	»	2	»	»	*emaxime*	lege:	*maxime*
»	»	»	17	a superiore margine		*co-guemis,*	»	*cō-guemis*
»	23	»	20	ab inferiore margine		*ut,,*	»	*ut*
»	»	»	5	»	»	*Clōatius,*	»	*Clŏatius*
»	24	»	20	a superiore margine		*imteresse,*	»	*interesse*
»	25	»	13	»	»	*kerriiai kerriiati,*	»	*kerriiai, kerriiii*
»	32	»	15	ab inferiore margine		*iunctum*	»	*iunctum.*
»	»	»	10	»	»	*nominat*	»	*nominat.*
»	33	»	20	a superiore margine		*Niumsis,*	»	*Niumsieis*
»	»	»	9	ab inferiore margine		filià	»	fĭlià
»	34	»	13	a superiore margine		*Non*	»	*Non.*
»	»	»	5	ab inferiore margine		*inuenire*	»	*inueniri*
»	40	»	3	»	»	*littera*	»	*consonans littera.*
»	41	»	11	»	»	t *parta*	»	*pace parta*
»	44	»	13	a superiore margine		*incertum.*	»	*incertam.*
»	45	»	21	»	»	*hanc ab causam*	»	*h. ob c.*
»	52	»	10	»	»	*quadriformen*	»	*quadriformem.*

Corrigenda.

P.	2	uers.	10	a superiore margine	*Saturnuus,*	lege:	*Saturnus*
»	»	»	6	ab inferiore margine	*ubis*	»	*ubi*
»	3	»	17	» » »	*carmissis,*	»	*carminis*
»	8	»	6	» » »	*ὠδῆς,*	»	*ὠδῆς*
»	»	»	13	» » »	*posituit,*	»	*potuit*
»	»	»	16	» » »	*Viturie,*	»	*Veturie*
»	10	»	12	» » »	*cognata*	»	*coniuncta atque cognata*
»	11	»	11	» » »	*ἅχνη,*	»	*ἄχνη*
»	21	»	6	» » »	uerba illa "couenumis – l. 532" ad exitum superioris uersus transponenda sunt.		
»	22	»	2	» » »	*cmaxime*	lege:	*maxime*
»	»	»	17	a superiore margine	*co-guemis,*	»	*cō-guemis*
»	23	»	20	ab inferiore margine	*ut,,*	»	*ut*
»	»	»	5	» » »	*Clōatius,*	»	*Clŏatius*
»	24	»	20	a superiore margine	*imteresse,*	»	*interesse*
»	25	»	13	» » »	*kerrtiai kerrtiati,*	»	*kerrtiai, kerrtiúi*
»	32	»	15	ab inferiore margine	*iunctum*	»	*iunctum.*
»	»	»	10	» » »	*nominat*	»	*nominat.*
»	33	»	20	a superiore margine	*Niumsis,*	»	*Niumsieis*
»	»	»	9	ab inferiore margine	filià	»	fílià
»	34	»	13	a superiore margine	*Non*	»	*Non.*
»	»	»	5	ab inferiore margine	*inuenire*	»	*inueniri*
»	40	»	3	» » »	*littera*	»	*consonans littera.*
»	41	»	11	» » t	*parta*	»	*pace parta*
»	44	»	13	a superiore margine	*incertum.*	»	*incertam.*
»	45	»	21	» » »	*hanc ab causam*	»	*h. ob c.*
»	52	»	10	» » »	*quadriformen*	»	*quadriformem.*

3 2044 011 194 248